

# COMPENDIUM INSTITUTIONUM D. JUSTINIANI IMPERATORIS

## P A R S III.

*De modis acquirendi jus in re particularibus.*

## LIBER II.

### TITULUS I.

*De rerum divisione, & acquirendo ipsarum dominio.*

- 528 **A**lterum juris objectum sunt res in sensu juridico accep-tæ, quæ juxta Franz. b. n. 1. sunt entia objective considerabiliæ in ordine ad acquisitionem, vel dispositionem humanam; aut secundum Vitri. ad Inst. b. n. 1. res imprætentiarum est omne id quod nec ad unum juris ob-jectum, nimicrum personas, nec ad alium, actiones, refertur.
- 529 **I**ma rerum divisio est, quod aliæ sint in patrimonio privato-rum, aliæ extra illud. pr. Inst. b.... Ille fuit, quæ aut in pri-vatorum dominio, aut possessione existunt.... Hæ autem, quæ nec in alterius dominio, nec posses-sione existere possunt. Arg. §. 11. Inst. b.
- Res extra patrimonium sunt immo communes, quarum usus 530 omnibus patet, proprietas autem est nullius privati. ut putat Vi-tri. b. n. 4. sive, ut vult Manz. b. n. 4. quæ hactenus fuerunt in communione relicte, & à ne-mine firmiter occupatæ. Aliter definit res communes Coccoejus in Jur. cont. de rer. divis. q. 6.

O

esse

esse illas, quæ omnibus competunt, aliquando juxta solum usum, ubi is est separabilis à substantia, v. g. mare, aliquando juxta proprietatem, v. g. aér, & certo respectu aqua profluens. Neque dicas, aquam profluentem à flumine non differre: Etenim aqua profluens, ut est *aqua fluminis*, à flumine non differt; at verò spectata, ut *aqua*, à flumine distinguitur.

Vid. Harp. b. n. 4.

### COROLLARIA

#### *De rebus communibus.*

**531 1<sup>um</sup>:** Mare hodie, saltem omnibus privatis, commune non est, prout Puffendorffii de jure naturæ & gent. Lib. 4. cap 5. §. 7. rationes firmant, nam, cum omnes maris usus non sint inexhauribiles: v. g. piscandi, & colligendi res, in mari nascentes, hinc malignior accolis inferretur conditio, si omnes maris partes cuivis paterent. Ita Puffend.

**532 2<sup>dum</sup>:** Mare hodie omnibus populis, & potentiis, saltem accolis, maximè quo ad usus inexhauribiles, v. g. navigan-

di, commercia exercendi, a quam pro sale coquendo hauriendi &c esse commune. Grot. in *diff. de mari libero* cap. 5. per rot. ubi demonstrat, jus navigandi ad Indos Lusitanis non esse proprium titulo occupationis, ex ratione, quia mare est in numero earum rerum, quæ in commercio non sunt, hoc est, quæ propriè juris non sunt, cui ad stipulatur Puffend.

Lib. 4. de Jure nat. & gent. cap.

5. §. 10.

At quæres, quid dicendum sit de usibus exhaustilibus, v. g. piscandi, legendi conchilia &c. an etiam illi omnibus Potentiis accolis competant? Resp. affirmativè arg. eorum, quæ tradit Puffend. L. C. §. 8. in fine, ubi inquit: *Maris accolae populos suorum portuum, tractusque littoralis dominos esse*, nec non arg. traditorum à Laudato Puffend. §. 9. L. C. ubi concludit: *Mare ultra 60. milliaria à populi accolæ portibus esse commune.* Ex qua doctrina ego sic arguo: ergo quæcunque Potentia accolae non tantum in portu suo, utpote cuius habet dominium ad 60. milliaria, legere potest

potest conchilia, & piscari, ad usus speciales, quidquam verum etiam ultrà, quia in isto spatio mare adhuc hodie est commune.

534 *3tium*: Societas Ostendana jure navigandi ad plagas Orientales, atque in locis, per Anglos, & Hollandos nondum occupatis exercendi commercia fruitur. Ratio est quia mare in ordine ad navigationem est commune, atque commercia non nisi populus, quocum haec volunt exerceri, exteris potest inhibere. Vid. *Puffend. L.C. §.9.*

535 *4tum*: Hodie, nec aerem, nec aquam profluentem, nec littora esse res communes, quo ad usum speciale, v. g. exstussionem molendinorum, tam aquaticorum, quam pneumaticorum, ita post *Koppen q. 20. n. 14. Strick. diss. 26. §.7.*

*Cap. 1. Ratio*: quod teste *Ziegiero de jurib. Majest. Lib. 2.*

*Cap. 15. §. 19. mibi contrario*, Princiibus, postquam in ipsis translata sunt Reip. jura, illa debeantur, quae olim populo competebant, per consequens iis invitatis, nec in aere, nec in aqua profluente, saltem quo

### §. 2. 3. & 4.

2dò extra patrimonium nostrum sunt res publicæ, quarum usus omnibus patet, proprietas vero ad populum pertinet, v. g. flumina, portus, ripæ &c. §. 2. & 4. b. *Ratio*: quia res publicæ, quæ tales, per occupationem, quæ sit per universitatem, factæ sunt ejus populi, in cuius finibus res tales existunt. *Grat. de jure B. & P. Lib. 2. cap. 2. §. 4.* Verum notat denuo *Coccej. de rer. Div. q. 7.* dari etiam res, & quod ad usum, & quod ad proprietatem publicas, v. g. aerarium, & hinc distinguit inter res, quarum usus à proprietate separari potest.

### COROLLARIA.

#### *De rebus publicis.*

*1mum*: Quod, sicuti res publicæ per dictam occupationem universalem pertinent ad populum, ita etiam, postquam jura populi Principibus cesserunt, & occupatae sint, prout

innuit Grot. L.C. quia Principes in locum populi successerunt.  
 538 2dum: Jus piscandi &c. in flumine publico quidem de jure Romano liberum fuisse unicuique de populo, at hodie, quemadmodum flumen in dominio est Principis, ita is etiam jus habet prohibendi, ne quis flumen piscandi gratia ingrediatur. *Grot. L.C. §.4.*

## §. 6.

539 3tiò: Extra patrimonium nostrum sunt res universitatis, quarum proprietas ad universitatem, usus verò ad omnes de illa universitate spectat: ut sunt theatra, stadia, viæ publicæ, pascua, piscinæ, aqueductus, fontes &c. vel etiam, quarum usus non pertinet ad singulos, sed manet cum proprietate penè universitatem. v. g. fundi, horrea, vectigalia, molendina, &c.

## COROLLARIA

*De rebus universitatis.*

540 1mum: Res universitatis alias destinari ad usum singu-

lorum de universitate, v.g. vias publicas, fontes, aqueductus &c. & tunc unusquisque iis uti potest. *Loffæus de jure univ. p. 3. Cap. I. n.7*

2dum: Alias verò res universitatis destinati non ad usum singulorum, sed omnium collectivè, v.g. pascua, nemora, vectigalia, molendina, &c. quo casu quisque de universitate iis uti nequit. *Vid. Laud. Loff. L.C. n.4.*

## §. 7.

4tò Res extra patrimonium nostrum sunt res nullius, quæ speciali ratione in dominio privatorum regulariter esse non possunt. v.g. res sacræ, religiosæ, & sanctæ. §. 7. b. de quibus jam est agendum.

## §. 8.

Res sacræ sunt, quæ per Pontifices ritè Deo sunt consecratae: v.g. calices, templa, donaria Deo dicata &c. requiritur autem ad constituendam rem sacram, 1mò auctoritas Pontificalis, 2dò solennitates à Jure defi-

556

definitæ, de quibus Canonis  
§. 3. 3tiō Immediata destinatio  
ad cultum Divinum.

## COROLLARIA

### De rebus sacrīs.

544 **1mum:** A rebus sacrīs differ-  
re res ecclesiasticas, v.g. vineas,  
domos, hortos &c utpote, quæ  
ad cultum Divinum immedia-  
tē non consecrantur, sed su-  
stentationi ministrorum Ec-  
clesiæ duntaxat deserviunt.

545 **2dum:** Regula: Res sacræ  
alienari nequeunt; tradita in §.  
8. b. ad res ecclesiasticas non  
pertinet, hæ enim, dummo-  
do certæ solennitates, v.g. de-  
cretum superioris Ecclesiastici,  
necessitas &c. intervenerint,  
sunt alienabiles.

546 **3tium:** Regula de rebus sacrīs  
non alienandis, fallit 1mō si redi-  
mendi sint captivi. §. 8. b....  
2dō in casti maximæ famis. L.  
21. C. de Sacrof. Eccleſ. Cano-  
nizatā per can. 70. Caſ. 12. q. 2.  
ubi in caſu Ecclesia non habet  
aurum, ut fervet, sed ut ero-  
get... 3tiō. Si Ecclesiam æs  
alienum premat. Can. 2. 10.  
q. 2. ibi: si debitum urget, nec  
aliunde solvi possit.

4tum: quòd, si extra hos 549  
caſus res sacra de facto fuerit  
alienata, possit à quocunque,  
absque pretii refuſione, vindic-  
ari. cit. L. 21. C. de Sacrof. Eccl.  
Ratio: quia eo caſu, alienatione  
nulliter contraſtā, dominium  
non transit.

### §. 9.

Res religiosæ sunt loca, in 548  
quæ mortuorum cadavera sunt  
illata, ut perpetuò ibi maneat.  
§. 9. b. ob religionis reveren-  
tiam, & dicuntur in specie se-  
pulchra, quorum alia sunt fa-  
miliaria, in quæ nemo infertur,  
niſi sit de familia, alia hæredi-  
taria, quibus etiam quiscum-  
que hæres extraneus inferri  
potest.

## COROLLARIA

### De rebus religiosis.

1mum: Hodie, cum cada- 549  
vera ſepeliantur in locis, ſolen-  
niter ab Epifcopo benedictis,  
hinc privatorum ſepulchro-  
rum vix ullus ſupereret uſus, eō  
quòd hodie non privatā, ſed  
publicā auctoritate locus fiat  
religiosus.

O 3

2dum:

**550 2dum:** quod, sicuti de jure Justinianæ locus religiosus est extra commercium, & hinc inalienabilis, ita pariter sepulchra jam tum benedicta alienari nequeant. *Reiff. ad decret. de sepult. n. 65. § seqq.* Ratio: quod, quia benedictio sepulturæ adhæret, simoniacum foret pro ea aliquid temporale accipere.

**551 3tium:** posse pretium accipi pro honoratori situ, & loco sepulturæ; v.g. ut quis sepeliatur in ecclesia, capella &c. *Laud. Reiff. L. C. n. 68.* Ratio: quia honor & præminentia res est temporalis, & pretio estimabilis.

### §. IO.

**552** Res sanctæ sunt, quæ speciali sanctione contra injuriosam hominum violationem sunt munitæ. v. g. Deus T. O. M. & universi Coelites. *Nov. 77. cap. 1. §. I. Aug. Imperator. L. ult in pr. C. LL S. R. Imperium, muri & portæ civitatum. §. 10. h. leges, legati, parentes, ministri publici, & curiæ Principum. Franz. n. 14. h. t.*

\*\*\*

D:

### COROLLARIA.

#### *De rebus sanctis.*

**1mum:** Res statim enumeratas adhuc hodie sanctas esse, nam hoc naturalis lex hic, nunc publica universalis statuit, cum harum rerum violatio operaretur hic boni naturæ, nunc salutis publicæ civitatum destructionem.

**2dum:** hodie poenam, temperatoribus aliquarum saltem rerum sanctorum de jure Romano statutam, esse arbitriam, v.g. relegationis, mulæ &c. *Coccejus in jur. cont. de rer. Div. q. 5.* Nisi poena sit in Constitutionibus criminalibus Imp. expressa, & determinata.

### §. II.

Res singulorum sunt, quæ in ipsorum patrimonio existunt, sive respectu quarum ipsis competit jus in re, vel ad rem. *Vitri. b... Est autem jus in re jus nobis competens ob qualitatem, quæ rem nobis obnoxiam & subditam denominat, v. g. quod*

quòd nostra sit, nobis hypothecata, serviat, aut à nobis possessa &c. ita ferè Feltman. in tr. de jure in re, & ad rem. Cap. 9. posit 37... Jus ad rem est jus competens nobis ob qualitatem, quæ personam ad faciendum, tradendum aut dandum nobis obligatam denominat. Idem Feltman L. C. n. 49. v g quod oritur ex contractibus, vel quasi &c.

*obsi.* 556 Præcipua species juris in re est dominium, de quo, postquam de rerum divisione dixi, inspiciendum est, quid, & quanto sit, & quinam sint modi illius acquirendi? Dominium itaque est jus in re de illa proprio nomine disponendi, nisi in quantum quis lege, vel conventione. vel vi prohibetur. Arg. L. 14. C. de contrah. empt. Unde

557 Sequitur 1. Nec tutorem, nec curatorem esse rerum pupillarium dominos, quia illi de his rebus non proprio; sed alieno nomine disponunt.

558 Sequitur 2. Pupillum dominum esse rerum, licet illas ob legis prohibitionem pro lubitu alienare nequeat. §. ult. Inst. quib. alien, licet &c.

Sequitur 3. Debitorem esse 559 pignoris, à se pro securitate crediti constituti, dominum, ut ut illius ob obstantem conventionem alienandi facultate destituatur.

Sequitur 4. Dominium rei 560 nostræ non destrui per violentam occupationem, tametsi desuper disponendi facultate per vim careamus.

Omissis variis dominii divisionibus, alibi tractandis, hic unicam noto, quâ aliud est eminens & summum, aliud vulgare, bassum & commune; illud est, quod habent summum Imperium competit etiam in res privatorum ad communem civitatis utilitatem, & necessitatem. Grot. de J. B. & P. Lib. I. Cap. 1. §. 6. quod probat Franz. h. p. 2. n. 7.... Intellige: ad salutem civitatum quâ imperantium publicam. Hoc, sive commune, & vulgare est, quod privatis competit in res suas. Ex quibus

Infertur 1. Quòd, sicuti o- 562 lim dominium illud altum, & eminens extitit penè Remp. aut populum, ita hodie debatur Principi, utpote qui in iura populi successit.

In-

<sup>563</sup> Infertur 2. Quod quidem dominia vulgaria inter privatos sint divisa, at verò eminentis illud Principibus pro sustentatione onerum communitatis relictum sit.

<sup>564</sup> Infertur 3. Fructus dominii vulgaris, v. g. jus ex fundis privatis percipiendi segetes, legendi glandes &c. privatis deberi, nisi forte concurrat dominium eminentis, quod potius est; fructus autem dominii eminentis, v. g. jus piscandi, venandi, & aucupi &c. Principibus elargior cum Grot. de J. B. & P. Lib. 2. Cap. 2. §. & Vitria. de J. N. & G. Lib. 2. Cap. 2. q. 22.

<sup>565</sup> Nuac de modis acquirendi rerum dominia tractandum est, qui à titulis eorum acquirendorum differunt, tituli enim sunt causae efficientes, ut dominium acquiramus, modi autem sunt quasi instrumenta: exemplum habes in casu quæsti dominii per donationem, ubi traditio est modulus, donatio autem est titulus, licet in aliis hæc duo non ita distingui possint, sic venatio & modulus & titulus est dominium feræ acquirendi. Vitria h. n. 36.

Modi acquirendi rerum dominia alii sunt *naturales*, alii sunt *civiles*. Illi sunt, qui ad transferendum dominium suapte naturæ & vi sunt habiles. Hi, qui vim transferendi dominii habent à lege Civili. Ita Franz. b. p. 3. n. 1. De naturalibus (quorum meo iudicio sunt quatuor, 1. Occupatio. 2. Accessio. 3. Specificatio, & 4. Traditio hic est agendum,

### §. 12. & sequentes.

#### De occupatione.

imus modus acquirendi rerum dominia naturalis est Occupatio, quæ res occupando nostras facimus.. Alia est rerum, quæ nullius sunt, quo saltem de jure Justinianæ, pertinet Venatio, & Inventio; Alia rerum, quæ alicujus sunt, v. g. occupatio bellica, de qua infra Adhæc de jure Germanico occupatio alia est per universitatem, quæ fit per populum, aut eum, qui populo imperat; sub quam cadunt illa, quæ in singulos non sunt translata, v. g. flumina, lacus, stagna, sylvae, montes, &c. Alia per singulos, cuius ob-

objectum sunt illa, quorum occupatio privatis, aut expresa, aut tacite est concessa. Ita *Vitria. de f. N. & G. lib. 2. cap. 2. q. 19.*

Puffend. de jure nat. & gent. lib. 4. cap 16. §. 11. Vitria. de f. nat. & gent. lib. 2. qu. 20. veriorem esse; feras, pisces, & aves vi occupationis per universitatatem esse in dominio populi, aut ejus, qui jus habet in populum; Ratio; quia Populus & successores Principes elementa, quo ad usus saltem speciales, inter privatos non dividendo, eadem jam tum occupata cum omnibus quae illa inhabitant, sibi reservarunt, & antevertunt dominium naturaliter alias acquirendum, prout inquit *Vitria. cit. vel.* ut loquitur Puffend. l. cit. Princeps pro domino feræ habetur, non quia occupatione per singuloseam occupavit, sed quia alium ab occupando prohibere potest,

Nec dicas 1. Quod hæc ratio non procedat de jure Romano, licet etiam ibi fieri potuisset illa per universitatem occupatio: Nam respondeo: Jus Romanum concedendo privatis occupationem per singulos sat sive significavit animum populi, occupationis illius universalis exclusivum.

Nec dicas 2. Quod Princeps 570  
P feram,

566 Ad Occupationem de jure Romano pertinet *Imō Venatio*, quæ genericè spectata est *occupatio, quā feram, in naturali libertate versantem, nostram facimus.... abitque Imō in venationem in specie sic dictam, aucupium, & punctionem. 2. In altam seu superiorem. 3. In simplicem & simultaneam. 4. In precariam & bæreditariam. vid. Franz. h. p. 3. §. 1. per tot.*

## COROLLARIA.

### *De venatione in genere.*

567 *1mum:* Fera sive terrestris, sive aquatica, sive æria, quo usque in sua naturali libertate existit, de jure Justinianæ est nullius, & hinc pertinet ad primò occupantem. §. 12. h. quia illa est rerum, quæ sunt nullius, indoles, quod ad primò occupante nō pertineant.

568 *2dum:* de Jure hodierno autem sustineo sententiam Ziegleri ad *Grot. lib. 2. cap. 2. §. 5.*

feram, per universitatem occupatam, vindicare nequeat, ergo signum est, quod illius dominium non habeat. Respond. enim, dominium restrictum esse ad territorium, quo relitto feræ dominium amittitur. Simile habes ex jure Romano in fera, quæ custodiam privati evasit.

### COROLLARIA.

#### *De venatione in specie.*

**571 1<sup>um</sup>**: Quod, sicuti in prima rerum divisione, saltem in Germania, dominium bassum duntaxat, & inde consequentes effectus privatis sunt concessi, Principibus verò eminentis, ejusque effectus sunt reservati, ita ut His ius occupandi feras, tanquam eminentis dominii effectus, debeat.

**572 2<sup>dum</sup>**: Quod, licet de Jure Romano fera laqueo, in proprio fundo posito, ita intricata, ut evadere nequeat, pertineat ad ponentem, non autem eminentem; de Jure nostro tamen ad neutrum spectet, sed à Principe, aut habente ius venandi vindicari possit. Simile

habes ex Jure Romano in thesauro, datâ operâ in alieno fundo reperto, qui ad dominum fundi pertinet, eò quod ipse inventoris operâ usus finatur.

**3<sup>tum</sup>**: De jure Romano **573** quidem fera, si ita vulnerata non sit, ut elabi queat, non pertinet ad vulnerantem; At de moribus aliquorum locorum licet vulneranti illam persequi extra territorium. **Franz. h.n. 20.**

**4<sup>um</sup>**: Hodie non tantum **574** ferarum in sylva circumsepta, (secus ac de Jure Romano) verum etiam in non circumsepta existentium, utpote occupatione illâ universalis occupatarum, dominium habet venationis dominus.

### COROLLARIA.

#### *De piscatione.*

**1<sup>um</sup>**: Quemadmodum **575** jus venandi in specie, tanquam effectus dominii illius eminentis, vi universalis occupationis pertinet ad eum, qui populo praeest, eò quod is in iura hujus successerit, ita pariter per flu-

mi-

minum, & stagnorum occupa-  
tionem jus piscandi.

576 *2dum*: De jure Romano in  
alieno stagno, aut lacu (secus  
ac piscina) piscari licet, eò quòd  
tales pisces, licet egredi ne-  
queant, naturalem libertatem  
habere existimentur; At verò  
de jure Germanico per *Ord.*  
*Crim. Carol. art. 169.* non tan-  
tùm is, qui in alieno stagno,  
aut lacu, verùm etiam, qui in  
alienis rivis, aut fluminibus  
non inclusis piscatur, domino  
stagni, lacūs, rivi, aut fluminis  
acquirit piscium dominium.  
Simile habes ex jure Romano  
in thesauro suprà allegatum.

577 *3tium*: Hodie, quia flumina  
per occupationem illam uni-  
versalem in Principum sunt do-  
minio, hinc etiam pisces. Ratio  
est: quia qui est dominus flu-  
minis, hoc ipso etiam est domi-  
nus piscium.

## COROLLARIA.

### *De aucupio.*

578 *1mum*: Regulæ, quas de ve-  
natione in specie, & pescatione  
tradidi suprà, quoque proce-  
dunt de avibus, saltem pretio-

fioribus v. g. perdicibus &c.  
Ratio est: quia & in his occu-  
patio illa per universitatem do-  
minum quærat venationis do-  
mino.

*2dum*: In avibus non ita <sup>57</sup>  
pretiosis procedit adhuc hodie  
juris Romani decisio, nimirum  
quòd, cùm ibi nulla universalis  
occupationis regulariter appa-  
reant in Principibus vestigia,  
tanquam nullius cedant primò  
occupanti.

*3tium*: De apibus sic esse <sup>58\*</sup>  
habendum: quòd si, ubi ita  
fert Regionis consuetudo, apes  
redeundi animum deposue-  
rint, pertineant ad illum, qui  
easdem suo alveario imposuit.  
Ratio est: quia ibi venationis  
dominus non existimatur eas-  
dem per universitatem occu-  
passe.

## §. 17.

Tractat de occupatione bel- <sup>58†</sup>  
lica, quæ est rerum, modò in  
alterius dominio existenti-  
um, apprehensio, quia au-  
tem restat altera occupationis  
rerum, quæ nullius sunt, spe-  
cies, nim. Inventio, hinc, ut  
P 2 de

de illa prius agamus, ordo postulat; quaresit

## §. 18.

## De inventione.

582 Inventio est occupatio, quæ res, quæ vel antè nullius fuerunt, vel alicujus esse desierunt, nobis acquirimus; prioris generis sunt lapilli, gemmæ &c. in littore maris repertæ, posterioris generis autem sunt thesaurus & res pro derelicto habitæ. De his postea, nunc de inventione rerum, quæ nunquam nullius fuerunt, circa quam hæc est juris Romani.

583 Regula: Lapilli, gemmæ, & si quæ sunt res similes, in littore maris inventæ, quæ in nullius adhuc fuerunt dominio, jure naturali cedunt inventorι. §. 18.  
b. Ratio: quia nullius sunt.

## COROLLARIA.

## De inventione rerum, quæ semper nullius fuerunt.

584 Innum: Inventio prædictarum rerum hodie non est modus acquirendi rerum dominia

privatus; sed publicus, & hinc si privatus has res, similēs ve invenire, non acquirit ipsarum dominium, quia eas, tanquam nullius privati, Principibus sustentatione concessas esse, regre tenet Grot. de J. B. & P. lib. 2. cap. 8. §. 5.

2dum: Quod, ubi res mentionatae à Principibus vi illius occupationis universalis non sunt occupatae: v. g. ubi Princeps permittit easdem etiam à privatis occupari, nostræ siant occupando. Quia eo casu, veluti res pro derelicto habitæ, cedunt primè occupanti. Vitri. de J. N. G. lib. 2. cap. 8. q. 9.

## §. 39.

## De inventione thesauri.

Res, quæ alicujus esse desit 586  
1mō est thesaurus, sive vetus quædam depositio pecuniae, cuius non extat memoria, ut jam dominum non habeat. L. 31. §. 1. ff. de A. R. D. qui cedit inventor, eò quod alterius non sit. itad. L. 31. Modò in proprio fundo reperiatur, nam casu fortuito in alieno reper-

tus tantum quoad medietatem  
est inventoris.

## COROLLARIA.

### *De thesauris.*

587 **Primum:** Thesauri in iis locis, ubi leges Civiles non obstant, adhuc hodie sunt inventoris, quia eō casu Princeps, quā populi caput, thesauros, tanquam res nullius, non occupavit occupatione illā universalī, superius explicatā; sed occupationem per singulos faciendam permittit.

588 **2dum:** At verò in locis, ubi lex Civilis privatis jus occupandi thesauros denegat, Princeps vel Reip. caput thesauros occupatione illā universalī occupasse, atque dominium, in sensu suprà explicato, sibi quæsivisse intelligitur.

### S. 47. & 48.

589 Res, quæ alicuius esse desit, est res pro derelicto habita, quam quis eō mente abjecit, ut eam in numero rerum suarum amplius esse nolit. h.s. 47. Quæ mens ex abjectione facta præsumitur, nisi sit circumstantia,

ut temporis causā & requirendi animō res abjecta censeri debeat. utinquit *Grot. de J. B. & P. lib. 2. cap. 4. §. 4.... unde consurgit*

*Regula: Res pro derelicto* 590 *habite tam de jure Justinianæ, quam hodierno cedunt primò occupanti. Ratio est: quia nullius sunt. Nec obstat: quod & hæ dici possint per Principes occupatæ occupatione illā universalī. Resp. enim hoc dici posse, si sufficiens de super habeatur animi indicum. Alia rerum, quæ navis levandæ gratiā ejiciuntur, aut de rhedis cadunt, aut alio casu amittuntur, habenda est ratio, circa has enim sequens statuitur*

*Regula: Prædictæ res non* 591 *cedunt primò occupanti, sed manent pristinorum dominorum de jure Romano aequè, ac Hodierno. Ratio est: quia in his nullius est animus easdem habendi pro derelicto, cùm alia sit domini intentio.*

### § 17.

Nunc de occupatione re- 592  
rum,  
P 3

rum, quæ alicujus sunt, v. g. bellica, quæ est *occupatio*, quâ *id, quod ex hostibus, vel in conflictu, vel in excursibus extra ministerium publicum capimus, nostrum facimus*. Vitria. h. n.

44. Unde patet: Occupationem bellicam aliam esse privatam, quâ *res privatas ab hoste capiendo extra ministerium publicum constituti, nostras facimus*: aliam publicam, quâ *Princeps, bellum gerens, res publicas, aut etiam privatas per milites in ministerio publico constitutos, capiendo suas facit*. Ex quibus.

593 Sequitur 1. Res soli simpli- citer, nec non mobilia aut moventia, in ministerio publi- co per milites ab hoste capta, primo & directe populo belli- geranti cedunt. Ratio: quia prioris generis res non nisi actu publico, v. g. inducto exercitu &c. occupantur, quia autem mobilia & moventia actu eriam privato v. g. per excursiones, direptiones, ab officiale conce- das, capi possunt, hinc non ali- cer, quâm actu publico occu- patæ sunt Principis. Grot. de J. B. & P. lib. 3. cap. 6. §. II. ¶

12. quem sequitur Vitria. de J. N. & gent. lib. 3. cap. 6. q. 9.

Sequitur 2. Mobilia & mo- 594 ventia actu privato à militibus, extra ministerium publicum constitutis, occupata primò & directe fiunt occupantium, nisi & in his lex Civilis domi- nium singulorum antevertat, atque ita occupata publica de- claret. Ita Vitria l. c. quod vi- detur posse exemplificari in tormentis bellicis &c.

### §. 19.

Egi de primo modo acqui- 595 rendi rerum dominia generali nim. de Occupatione, sequitur 2dus, nempe Accessio, quâ *id, quod rei nostræ principali acce- dit, nobis acquiritur*; Alia est naturalis, quæ fit naturæ bene- ficio, hominis operâ, aut nihil, aut parùm conferente; Alia in- dustrialis, quæ fit hominis ope- râ vel industria. De illa, quæ duplex est, continua & discreta, hic tracto. De industriali agam n. 628. Continua, quæ est modus acquirendi dominium rei, nostræ sine hominis opera accedentis, quatuor habet species. Prima est

est alluvio. 2da accretio, seu  
coalitio. 3ta Insulæ productio.  
4ta alvei derelictio.

COROLLARIA.

De alluvione.

§. 20.

596 Alluvio est *accessio natura-  
lis incrementi latentis*, ita ut  
intelligi nequeat, quantum quo-  
vis temporis momento fundo no-  
stro illimitato adjectum sit. Cir-  
ca quam hæ de jure saltem  
Romano statuendæ sunt re-  
gulæ.

597 Regula 1. Fundus limitatus,  
hoc est: authoritate publicâ  
certis limitibus circumscriptus,  
non gaudet commodo alluvionis.  
Ratio est: quia eo  
casu Resp. aut Princeps facto  
suo sufficienter declarârunt,  
quod jus alluvionis sibi ve-  
lint reservare. Arg. L. 16. ff.  
de A.R.D.

598 Regula 2. Fundus illimita-  
tus, cuius limes est ipsum flu-  
men, incremento alluvionis  
fruitur. Arg. d. L. 16. Ratio est:  
quia id quod adjicitur fundo,  
sit pars illius, & per confe-  
quens ad quem fundus perti-  
net, ille est singularum par-  
tium dominus. Manz. b.

Primum: Docente Puffend. 599  
de J. N. Gent. lib. 4. cap. 7. §.

12. Incrementum alluvionis  
non acquiri domino fundi, sed  
populo, cuius id est flumen.  
ratio: quia non tantum aqua  
fluminis, sed omnia, quæ in  
eo continentur, & hinc ipse  
fundus, per quem flumen la-  
bitur, publica sunt.

2dum: ubi tamen populus 600  
per superiùs explicatam occu-  
pationem universalem nec flu-  
mina, nec incrementa flaviati-  
ca occupavit, sed privatis ad-  
judicavit, ibi, sicuti flumen  
in privatorum est dominio, ita  
pariter id, quod fundo per allu-  
vionem accessit.

§. 21.

2da species accessionis natu- 601  
ralis continuæ est Accretio, seu  
Coalitio, quæ est *accessio natu-  
ralis incrementi patentis*, sive  
*modus acquirendi*, quo no-  
tabilis pars fundi, vi flumi-  
nis avulsa, & fundo nostro  
af-

*affixa nobis acquiritur. §. natam, ratione praedii confinis,  
21. h. nobis acquirimus. §. 22. h.*

## COROLLARIA.

*De accretione.*

**602** Primum: Hodie etiam partem terræ vi fluminis avulsa, si nondum alterius fundo acreverit, à pristino domino vindicari posse. Ratio est: quia eousque nullus modus acquirendi rerum dominia intercedit.

**603** 2dum: Naturalem rationem nihil impedire, quo minus dominus demonstrans, crustam suam esse, eam etiam post coalitionem vindicare possit. Ita Hertius in not. ad Puffend. loc. cit. lit. C. ubi exemplum avulsionis memorat in magna parte terræ, Daniæ avulsa, & Hollandiæ adjecta.

**§. 22.**

**604** 3tia species accessionis naturalis est Insulæ, sive eminentioris partis terræ, quam mare, aut flumen ambit, productio, quæ est modus acquirendi dominium, quo insulam in flumine

## COROLLARIA

*De insula.*

Primum: Insula in flumine nata de jure Romano pertinet ad vicinos prope flumen, habentes prædia illimitata pro regionibus fluminis. Ratio: quia hoc jure isti vicini dominium intelliguntur habere terræ, quam flumen occupat.

**605** 2dum: Hodie Insulas in fluminibus, ad dominos Territoriales pertinentibus, natas non ad privatos, sed ipsos territorios dominos pertinere, quia Hi insulas occupatione universalis occuparunt, quemadmodum firmat Grass. in Collat. sect. 2. §. 2. ex constitutione Rudolphi Regis Romanorum, Anno 1293. cum consilio Statuum Imperii editâ, quæ ita haber: Si insula nata est in Rheno, vel alio flumine in comitatu aliquuj Comitis, qui in ipso flumine recipit telonia, & conductus, habet que comitatum euudem, ea insula spectat ad Imperium, & ipsum Comitem, non ad aliun domi-

dominum, cuius districtus pretenditur, ad ripam prælibati fluminis.

## §. 23.

607 Quarta species accessionis naturalis est alvei derelictio, quæ est modus acquirendi, quod alveus à flumine derelictus jure contigui prædii nobis acquiritur. §. 23. h.

## COROLLARIA.

## De alvei derelictione.

608 Primum: De jure Romano. alveus derelictus pertinet ad vicinos, habentes prædia illimitata, pro prædii cuiuscunque latitudine, quæ prope ripam est. d. §. 23. quia hi hoc jure terræ, quam flumen occupat, domini censentur.

609 secundum: Apud Nos in fluminibus à populo, aut jus populi habente occupatis occupatione illâ universalis alveus derelictus est populi, aut Principis, at verò in non occupatis tunc demum sit privatorum, quando his concessus reperitur ager, usque ad flumen excurrens. Ita Grot. de J. B. & P. lib. 2. cap. 8. §. 13.

## §. 24.

Alia est ratio habenda, si cuius ager, planè licet, inundatus sit; eo enim casu, quia substantia fundi non mutatur, si aqua recesserit, pristinis dominis restituitur, tametsi amissione facti eundem interim amiserint. Ubi tamen

Notandum 1. Ex Grot. loc. 611 statim cit. §. 10. n. 2. quod, si gravissima sit inundatio, neque alia signa sint, quæ retinendi dominii animum notent, facile intelligatur ager habitus derelictui, quia presumendum non est, quod quis ejus, quod vult, longo tempore nullam edat significationem.

Notandum 2. Quod ager 612 sic derelictui habitus non pertineat ad primò occupantem, sed ad Principem, aut illum, qui jura Reip. tenet. Ratio stat in occupatione illa universalis sæpius dicta. Exemplum assert Grot. l. c. in Hollandia. Aliud tamen foret, ubi Princeps subditis facultatem alveos occupandi concederet.

\*\*\*

Q

§. 19.

## S. 19.

**613** Hæc de accessione continua. Discreta, quæ est modus acquirendi dominium earum verum, quæ ex nostra descendunt, duas habet species, sicutur animalium, & perceptionem fructuum, de hac statim. Est autem factura animalium accessione factus, ex animali nostro nati; & hinc quidquid ex animalibus nostris nascitur, nobis acquiritur. *h. S. 19.* quia, sicuti fructus pars rei nostræ censemur, ita pariter partus.

## S. 36.

**614** Secunda species accessionis discretæ est fructum perceptione, quæ est modus acquirendi dominium fructuum (sive ejus, quod ex re percipitur & reperiatur, qualia sunt poma, seges, &c.) ex re aliena, bona fide possessa, perceptorum. *s. 36. h. Unde*

**615** Sequitur 1. Malæ fidei possessorum neque naturalium, (qui aut nullæ, aut tantum modicâ hominis operâ interveniente percipiuntur) neque industria- lium (sive ex speciali hominis industria perceptorum) domi-

nium acquirere. *L. 22. C. de R. V. ibique Brunnem. n. 1.* Ratio stat in poena malæ fidei, ne quis ex sua malitia reportet emolumentum.

Dixi: nec naturalium, nec **616** industrialium &c. nam malæ fidei possessor fructuum ex sola opera provenientium dominium acquirit, v. g. operis alieno instrumento confecti. Ratio: quia hi fructus emolumentum sunt propriæ industriæ, non rei alienæ. Ex quo porro

Sequitur 2 M. F. possesso- **617** rem teneri non tantum ad fructus perceptos; sed etiam quos bonus paterf. honestè percipere potuisset, restituendos. *L. Domum 5. C. de R. V.* quia omnia sunt restituenda domino, quæ habiturus fuisset, si non alius, sed ipse possedisset. *Manz. h. n. 46.* De B. F. pos- sessor notandæ sunt sequentes conclusiones.

Prima: Bonæ fidei possessor **618** titulum habens, à jure non improbatum, fructus æquè naturales, ac industrielas tuos facit. *L. 48. ff. de A. R. D. ibique Brunn. n. 1.* Ratio: quia B. F. possessor loco domini penè est.

Dixi: *Si titulum habeat à* **619**

*jure non improbatum:* Unde si titulus sit à jure reprobatus, B. F. possessor non naturales, sed solos industriales suos facit. Exemplum est in L. 45. ff. de *de usur. & fruct.* ubi conjuges donatarii fructus tantum industriales percipiendo ex fundo donato suos faciunt, quia quo ad hos titulum habent, nim. industriam, at quo ad naturales nullum. *Brunn. ad h. legem.*

620 *2da:* Bonæ fidei possessor fructus perceptos suos quidem facit, at tamen *non irrevocabili-* ter, sed *interim.* L. 48. ff. de A. R. D. Brunn. *ibid.* Et hinc eisdem, nondum usucaptos, nec consumptos, supervenienti vero domino restituere tenerer. Ratio est: quia eo casu ces- sat causa dominii, nimirum bona fides. *Manz. h. n. 26.*

621 *Dixi: Nondum usucaptos, nec consumptos:* nam si fructus sint per triennium possessi, aut bona fide consumpti, restituendi non sunt. Prius probatur Arg. L. 4. §. de *usurp. & usucap.* Po-sterioris decisio habetur in L. 4. §. 2. ff. *fin. regund.* Ratio stat in bona fide, quæ loco do-

minii penè est. *Manz. h. n. 17.*

31. § 35.

At quæres: Quinam fru-  
ctus ad præsentem effectum  
dicantur consumpti? An fortè  
qui non extant in natura, licet  
adhuc habeantur in surrogato  
pretio, an autem qui nequidem  
in pretio extant, si tamen pos-  
sessor illorum consumptione  
proprio patrimonio peper-  
cerit?

Respondeo 1. ad fructuum 623  
consumptorum, at extantium  
adhuc in surrogato pretio, re-  
stitutionem bonæ fidei posses-  
sor, in foro saltem, tenetur, sive  
versemur in judicio universali,  
sive particulari. Ita *Carpz. 3.*  
*p. const. 32. def. 28.* Hart. *Pist.*  
*lib. 4. q. 25.* Ratio mihi videtur  
esse, quia licet L. 22. ff. de *hær.*  
*petit.* loquatur de judicio uni-  
versali, attamen decisio videtur  
esse generalis, in verbis: *Dispi-*  
*cite, Patres conscripti, si non sit*  
*æquius possessorem non facere*  
*lucrum, & pretium, quod ex*  
*aliena re percepit, reddere.*  
Non obstante ratione sub-  
juncta ibidem: *quod pretium*  
*existimetur in locum rei hæ-*  
redi-  
Q

*reditarie venditæ succedere.*  
Nam illa est inadæquata.

624 Respondeo 2. Bonæ fidei possessor fructus consumptos, si per id proprio patrimonio pepercit, domino supervenienti restituere tenetur. *Grot.*  
*de J. B. & P. lib. 2. cap. 10. §. 10.* Ratio est: quia eo ipso, quo factus non sum pauperior, locupletior sum. *per L. 47. §. T. ff. de solut.* ubi pupillus locupletior intelligitur, si necessariam sibi rem ex pecunia sine tutoris autoritate emit, quam necessariò de suo erat empturus.

625 Limitat tamen hanc respon-  
sionem *Gron. ad h. L. Grotii,*  
nisi bonæ fidei possessor occa-  
sione horum fructuum lautiùs,  
& iis non habitis parcìus vixi-  
set, quia eo casu locupletior  
non existimatur, *d. L. 47. de*  
comparatione rei necessariae  
loquente. Ex quibus

626 Infertur 1. Bonæ fidei pos-  
sessorem teneri in judicio uni-  
versali ad restitutionem fru-  
ctuum consumptorum, quate-  
nus est factus locupletior. Quia  
æquum non est, ut quis locu-  
pletetur cum alterius jaætura.

Infertur 2. De praxi etiam 627  
bonæ fidei possessor in judicio  
particulari de fructibus con-  
sumptis tenetur, si ex illis fa-  
ctus sit locupletior propter ra-  
tionis identitatem.

Infertur 3. Locupletiorem 628  
etiam hic intelligi bonæ fidei  
possessorum factum, quando  
fructus perceptos in quotidiana-  
nam necessitatem impendit,  
atque proprio pepercit, quia  
eo ipso non fit pauperior. Arg.  
*L. 47. §. 1. de solut.*

### §. 26.

Hæc de accessione naturali; 629  
ad industrialem refero primò  
*Intexturam*, circa quam hæc  
statuenda regula: *Quidquid*  
*rei principali est intextum, cedit*  
*intexenti, sive male sive bonæ*  
*fidei possessor sit.* v. g. purpura  
texenti. §. 26. h. quia etiam in  
casu, quo quis malâ fide pur-  
puram, tanquam accessorium,  
vestimento, quâ principali, in-  
texuisset, firma manet Regula:  
Accessoriū sequitur suum  
principale. *Manz. h. n. 7.*



### §. 29.

§. 29. & 30.

630 Secundò ad accessionem industrialem refero Inaedificatiōnem, quae est accessione, qua id, quod solo inaedificatum est, solo cedit. §. 30 h. de qua sequentes statuantur regulæ; Prima: Aedificium solo cedit, sive quis ex aliena materia in suo solo, sive ex sua materia in solo alieno, sive bona, sive mala fide aedificaverit. §. 30.h.

631 Regula 2. Aedificans ex sua materia in alieno fundo scienter, proprietatem materie amittit. L. 7. §. 12. ff. de A. R. Dom. Ratio est: quia nisi contrarium constet voluntate aedificantis intelligitur materia alienata.

632 Regula 3. Aedificans bonâ fide, ex aequitate saltem (quod Ius in praxi sequimur) premium materiæ recuperat. Struv. Exercit. 11. §. 36, in fin, ibique Mull. Ratio est: quia moribus receptum est, ut toties ex jure naturæ oriatur obligatio, quoties res nostra melior facta est.

\* \* \*

A P P E N D I X.

De Impensis.

Conclusio 1. Bonæ fidei possessor in judicio universali deducit impensas necessarias, & utiles. L. 38. ff. de hæred. pet. ibique Brunn. imò & voluptuarias. L. 39. §. 1. eod. Mull. ad Struv. Exercit. 10. Th. 62. lit. Y.

Conclusio 2. Bonæ fidei possessor in judicio particulari deducit impensas necessarias, L. 38. ff. de R. V. Voluptuarias tollit. L. 9. ff. de Impensis in res dot. fact.

Conclusio 3. Malæ fidei possessor in judicio universali impensas necessarias & utiles deducit. L. 38. ff. de hæred. petit. Voluptuarias autem tantum tollit. L. 39. §. 1. ff. eod.

Conclusio 4. Malæ fidei possessor in judicio particulari solas impensas necessarias deducit. L. Domum 5. C. de R. V. utiles verò tantum tollit. d. L. Domum; imò & voluptuarias. L. 10. §. ff. Mand.

Conclusio 5. Et bonæ & malæ fidei possessor expensas

Q 3

fru-

fructuum colligendorum causâ factas, tam in judicio universalis quam particulari deducit. L. 36. §. ult. ff. de hæred. petit. Ratio quia fructus non sunt, nisi deductis expensis.

§. 31. 32. 33. & 34.

628. *Tertio*: Ad accessionem industrialem refero Plantationem, Sationem, & Scripturam; circa quam pono sequentem regulam: *Planta cedit solo, satu*m* fundo, literæ chartæ & membranæ*. Aliud est in pictura (L. 23. §. 3. ff. de R. V. non obstante) cui tabula cedit propter præstantiam artificii; Ratio diversitatis inter picturam & scripturam est: Quod pictura sit quasi species specificatio*nis*, quæ novam formam superraddit, secus ad scriptura. Manz. §. 35. ad Inst.

639. Notandum tamen: quod hodie charta cedat literis pretiosis Vitria. n. 38. Rationem dat, ne minor honor eruditio*n*i, quam arti pictoriæ attribuatur; Licet alii contradicant, putantes adhuc hodie in hoc passu juri Romano esse insistendum.

### §. 25.

Tertius modus generalis ac- 640  
quirendi rerum dominia est Specificatio, quæ est modus ac-  
quirendi, quod aliena materia  
per introductionem novæ formæ  
nobis acquiritur. Quia autem  
introductio novæ formæ ali-  
quando efficit speciem irre-  
ducibilem v. g. quando ex la-  
na vestimentum conficitur; al-  
iquando autem reducibilem,  
v. g. dum ex auro fit scyphus,  
hinc sequentes habe conclusio-  
nes.

Prima: Species reducibilis 641  
non pertinet ad specificantem,  
sed ad dominum materiæ. L.  
7. §. ff. de A. R. Dom. Quia eo  
casu vetus materia perdurare  
intelligitur, & hinc res nostra  
sinè facto nostro nobis auferri  
nequit. Struv. Exercit. 41. th.  
37. ibique Mullerus.

Secunda: Species irredu- 642  
cibilis ad pristinam materiam  
v. g. vestimentum, spectat non  
ad dominum materiæ, sed ad  
specificantem. d. l. 7. §. 7. Ra-  
tio: quia tunc quasi destructa  
materiæ veteri novum compo-  
situm

situ madjudicatur producenti.  
Ita laud. Struv. & Mull.

excutientem, quia grana non  
efficiuntur, sed latentia dete-  
guntur. d. L. 7. §. 7. ff. eod.

643 Tertia: Quod si species no-  
va partim ex propria materia,  
partim ex aliena sit confecta,  
pariter distinguendum est in-  
ter speciem re & irreducibili-  
lem, licet nec d. L. 7. §. 7. nec §.  
25. h. hujus distinctionis faciat  
mentionem; nam si nova spe-  
cies ad pristinam materiam re-  
duci potest, nulla cogit neces-  
sitas de novo domino cogitare.  
Ita Mull. ad Struv. Exerc. 41.  
th. 38. lit. D.

Infertur 3. Vinum, oleum 647  
&c. ex alienis uvis, aut olivis  
expressum pertinere ad expri-  
mentem, non ad dominum  
uvarum, aut olivarum, susti-  
nent contra Bachov. Lauterb.  
ad ff. de A. R. D. s. 85. ex Ra-  
tione, quod in d. L. 7. §. 7.  
eod. solum frumentum à regu-  
la excipiatur; ergo vinum &  
oleum, tanquam exempla spe-  
ciei irreducibilis ibi adducta  
sub regula continentur.

644 Notandum autem ad speci-  
ficationem requiri sequentia;  
Primò: ut nova species con-  
furgat. 2dò: ut specificans agat  
proprio nomine. 3tiò: ut sit  
in bona side. 4tdò: ut species  
ad pristinam rudem materiam  
reduci nequeat. Ita Harprecht.  
h. n. 8. & seqq. Unde.

Infertur 4. Malæ fidei spe-  
cificator dominium novæ spé-  
ciei, licet irreducibilis, sibi  
non acquirit; quia eo casu in  
odium malæ fidei locus fit re-  
gulæ, contentæ in L. 12. §. 3.  
ff. ad ehib. quod ex re nostra fit,  
nostrum est. Manz. h. n. 19.

645 Infertur 1. Lanam purpu-  
reo, aut alio colore tintam  
pertinere non ad tingentem,  
sed ad pristinum dominum,  
quia eo casu nulla nova species  
lanæ inducitur. L. 26. s. ult. ff.  
de A. 2. Dom.

646 Infertur 2. Frumentum ex  
alienis spicis excussum spectat  
ad dominum spicarum, non ad

### §. 28.

Ad hæc modis acquirendi 649  
rerum dominia accensetur pri-  
mò: Confusio, quæ est mixtio  
materiarum liquidarum. v. g.  
vini, olei &c. circa quam se-  
quens est statuenda Regula:  
Sive

Sive voluntate dominorum, singula corpora in sua substantia perdurent, manent pristinorum dominorum, ut ita pro quantitate & qualitate commixta quisque habeat actionem. *Manz. b.*

## §. 29.

*650 Secundò modis acquirendi dominii annumeratur Commixtio, quæ est conjunctio corporum solidorum in unum acervum. v. g. frumenti &c. pro qua sequentes serviunt Regulæ.*

*651 Prima: Commixtio dominorum voluntate facta operatur communionem. Ratio: quia voluntate, etiam tacitâ dominorum, communio introduci potest.*

*652 2da: Commixtio casu fortuito, aut etiam unius voluntate facta communionem non operatur. Ratio: quia, cùm*

acquirendi rerum dominia generalis est Traditio, quæ rem tradentis & accipientis consensu ex causa habilit traditam nostram facimus. *Vitria. b. n. 89.* Alia est vera, Alia ficta; Illa duplex est propria, rei mobilis de manu in manum &c. & improppria & analoga, per inductionem in rem immobilem aut cessionem rei incorporalis &c. Ficta traditio, quæ fit per juris fictionem, Alia est brevis, Alia longæ manus, Illa est, quando de re, quæ ex nullo titulo ad dominium transferendum habili apud me est, convenit, ut mea sit. Exemplum est in deposito. Hæc est, quando res vel propè vel remotius demonstrata tradita praesumitur.

*Requisita traditionis sunt sequentia, Primum est: ut tradens* 653

## §. 40. &amp; sequentes.

*dans sit dominus rei, nemo enim plus juris in alium transferre potest, quam ipse habet. L. 20. ff. de A. R. D.* 2dum: *ut voluntas dominij transferenda ad sit, quia sine animo ad effectum perduci non potest id, quod inchoatum est. L. 55. ff. de O. & A.... 3tum: ut sit res corporalis, quae possideri possit, quia incorporalis traditionis non est capax. §. 40. h.... 4tum: ut res tradita sit ex justo titulo ad dominium transferendum habili, v.g. emptione, donatione &c. quia nuda traditio ad hunc effectum non sufficit. L. 31. ff. de A. R. D. vid. quoad rem Harpr. h. n. 5. & seqq.*

655 At quæres: nunquid etiam requiritur consensus in eundem titulum habilem, ut dominium transferatur? Resp. sufficere, utrumque consensum esse in titulos, licet diversos, dominii translativos. Exemplum est in L. 36. ff. de A.R.D. ubi Julianus JCtus decidit: *Si pecuniam numeratam tibi tradam donandi gratiā, tu eam quasi creditam accipias, proprietatem ad te transire, quia uterque titulus de sui natura habi-*

*lis est ad dominium transferendum. Mull. ad Struv. de acq. rer. dom. lit. G.* 656  
Obstat L. 18. ff. de rebus cred. ubi propositum negotium nec mutuum est, nec donatio, & Ulpianus JCtus decidit, numeros accipientis non fieri, nam Resp. fatendum quidem esse, quod prædictum negotium nec mutuum sit, nec donatio, at quod afferat Ulpianus, numeros accipientis non fieri, in eo sustineo latere antinomiam cum Ant. Fabro in ration. ad L. 18. ff. de reb. credit.

Notandum hic primò: in venditione hoc est singulare, ut licet res empta tradatur, dominium tamen non transeat, nisi pretium sit solutum, aut fides habita sit de pretio. Struv. Exerc. 44. th. 46. in med. Venditor enim prius dominium abdicasse non intelligitur. §. 41. b.

Notandum 2. Fidem haberi de pretio, vel expressè quando hoc vendor exprimit verbis, aut tacite, quando factis, v.g. si acceperit fidejussorem, partem pretii acceptaverit, si terminus solutioni sit præfinitus,

aut si in libros rationum pre-  
tium, tanquam debitum, retu-  
lerit. *Vitria. h. n. 93. ver. fidem  
de pretio &c.*

659 Notandum 3. *Ex eod. Vitria.*  
*I. c. fidem non statim præsumi  
de pretio habitam, si venditor  
permiserit, rem ab emptore  
domum conferri, aut merces  
ad emptorem transmisisset, in  
dubio enim animo adimplendi  
contractum hæc facta venditor  
posuisse intelligitur.*

### COROLLARIA.

#### *De traditione.*

660 *Imum: Jure Electoratus*  
*Coloniensis dominium immo-  
bilium emporum non quæri-  
zu nisi ex - & adhæredatione  
judiciali, evacuatione extra ju-  
dicum nequaquam suffragan-  
te, personali tantum actione  
salvâ. *Ordinat. Elect. Col. Tit.  
12. §. 1.**

661 *adum: In ducatis Iuliæ  
& Montium* venditor volens  
prædium venditum tradere  
emptori per solennem & ju-  
dicalem in - & exhæredatio-  
nem, sive mancipationem, aut  
esse Etuacionem vulgo erb- und  
entferbung, verzicht und aus-

gang coram judice rei sitæ id  
facere tenetur. *Ord. Jul. Cap.  
16. §. ult. § 97. §. 1. Melchior  
Voets in histor. Juliae. n. 139.*

*3ium: Solenni, & ut vo-  
cant, inhæredatione & inve-  
stiturâ, coram magistratu factâ,  
consuetudine Leodiensi rerum  
immobilium, censuum, & re-  
dituum dominia transferun-  
tur. *Carolus de Mean in jus  
Leod. obs. 145.**

*4tum: Traditio in hac urbe* 663  
*est inscrinatio, quâ partes cen-  
sus & prædia scrinio, seu pro-  
tocollo inferunt, quô una  
ex - & altera adhæredatur.  
*Arg. Stat. Civit. Col. art. 9. §  
13. § Ord. Scrinalis ex a.  
1473.**

### TITULUS II.

#### *De rebus corporalibus & incor- poralibus.*

Altera rerum divisio est, 664  
quod res vel sint *corporales*,  
quæ sensu corporeo sunt per-  
cepibles, vel *incorporales*, quæ  
solo intellectu percipi possunt,  
quales sunt jura genera, quan-  
titates &c.

Res corporales aliæ sunt 665

mobiles, quæ salvâ substâtiâ de loco in locum transferri possunt, sive sint se moventes, ut pecora, sive ab alio moveantur, ut supelleâtilia &c... aliæ sunt immobiles, quæ aut abso-lutè, aut salvâ substâtiâ de loco in locum moveri non possunt, aut quæ solo naturâ, arteve firmiter cohærent.

666 Res immobiles aliæ sunt na-turâ tales, aliæ factâ hominum, prioris generis sunt fundi, po-sterioris generis sunt ædificia, per factum inædificationis. Adhæc res mobilis de suâ na-tura aliquando immobilis fit civiliter, aut destinatione domi-ni, aut voluntate legislatoris.

667 Quæres 1. Quomodo res mobilis redditur immobilis de-stinatione domini? Resp. Si dominus rem mobilem ad u-sum rei immobilis eo animo actu destinaverit, ut perpetuò ibi maneat. *Coccej. in Jure con-trov. de rer. divis. q. 13. v. g.* Si dominus hoc verbis expref-ferit, aut factis, puta: si domi-nus pisces propagationis causâ piscinæ imposuerit, aut sedilia templo. Unde

668 Sequitur 1. Molendina na-

valia, ad certum usum loci in perpetuum destinata, (prout tenet *Coccejus l.c.* qualia sunt meo judicio bannalia) immo-bilibus accensentur, saltē quò ad aliquos juris effectus, fecus est, si bannalia non sint, nisi aliunde de facto destina-tionis perpetuæ constaret.

Sequitur 2. Licet navis ali- 669 quando mobilibus annumeretur. Arg. L. 1. §. 7. ff. de vi & vi armata, quandoque autem immobilibus, v. g. si nautæ sit loco domûs. Arg. L. 6 §. fin. ff. de his qui dejec. vel effud. at-tamen ad alios effectus juris, si navis ad certum fluminis tra-ctum, quem non egrederetur, in perpetuum foret destinata, puto eandem immobilibus esse annumerandam.

Sequitur 3. Pecuniam, ad 670 emptionem prædiorum desti-natam, regulariter non esse im-mobilem, quia ad rem de suâ natura mobilem immobilari-zandam non sufficit neda de-stinatio, sed requiritur, ut rei immobili accedat, & ad usum ejus perpetuum actu destine-tur. Arg. L. 17. §. 7. de Act. Empt. vid. *Coccej. l.c. q. 11. & 12.*

**671** Quæres 2. An res de suâ naturâ mobiles lege aut statuto sînt immobiles; Resp. 1. in Electoratu Coloniensi pecunia, ex venditis bonis immobilibus resultans, nec non capitalia soluta; ad hæc pecunia in annuos redditus exposita, deinde quidquid ædibus adhæret, v. g. fornaces, torcularia, cacabi braxatorii, folles ferrarii & similes; præterea merces tabernarum, ad negotiationem pertinentes, cum creditis in libros rationarios illatis, & denique naves & eò pertinentia, v. g. vela, anchoræ, funes, & ejusmodi, immobilibus accensentur. *Ord. Col. art. 8. §. 7. & 8.*

**672** R. 2. Lege res de suâ naturâ mobiles sînt immobiles, si non ornatûs gratiâ, sed ita posse sint quô Ædes perficiantur. *Ita* *accidente L. 245. ff. de V.S.* Unde imagines & statuæ basibus struclibus, nec non tabula pietæ parietibus affixæ, uti & lychnus religatus mobilibus accensentur, at prothyrum (quo irrumpens ventus à valvis ostii excluditur) saltem si ex tabulis, secus si ex velamine confectum sit, immobilis-

bus accensetur. *Goddæus ad cit. L. 245. per tot.*

Quæres 3. An res aliquæ de jure communi immobiles, aut, quæ neque mo-neque immobiles sunt, statuto mobiles sînt? Respond. 1. Res incorporales neque ad classem monœque immobilium pertinent. v. g. actiones, & alia iura; non tamen pecunia, saltem spectata ut species, licet quando spectatur ut quantitas rebus incorporalibus quô ad certos effetus juris adscribatur. *Coccius in jure controv. de rer. div. q. 10.*

Resp. 2. Aliquæ res de jure communi immobiles vi statutorum ad mobilia sunt referendæ, sic in *Ord. Col. tit. 8. §. 7.* fruges adhuc stantes, vina, vite primo ligamine vinculata, fructus arbutei, & gramina post primam Martii & denique ligna cædua à proprietario vendita, licet nondum sucifisa, inter mobilia reputantur.

Resp. 3. Aliquæ res, quæ de jure communi regulariter neque mo-neque immobiles sunt, statuto partim his, partim illis adscribuntur. Sic

*Ord.*

*Ord. Jul. cap. 95. §. So viel bus constituti) ad immobilia sunt referendi, idque vi & natura accessori. vid. Paulus Voet in Disp. de mob. & immob. natu. cap. 9. n. 9. & 11.*

## COROLLARIA.

De rebus im- &amp; mobilibus.

*1 mom: In Electoratu Trevi-*

678

*rensi mobilia sunt supellectilia,*

*ut utensilia, etiam argentea, parata pecunia ex distractis bonis non redacta, propriæ crescentiæ, ut vina & fruges (secus si comparatae ad commercium) pensiones decursæ, & census, libri (excepta bibliothecâ) arma, credita & debita in annum interesse non exposita, summa; quidquid ad commercium non est destinatum, & eō tendentes actiones. Immobilia contra sunt obligationes, & recognita, hypothecis assecurata, aut centum florenos continentia, parata pecunia ex dividendis bonis, aut solutis capitalibus proveniens, inter mercatores merces, inter offices instrumenta & materiæ, ad officium aut artem exercendam necessariæ, inter nautas funes, vela &c. inter rusticos res agrariæ, armenta*

*Struv. Exercit. 3. th. 86. in f. quod etiam probat Ord. Col. tit. 8. §. 7.*

*Resp. 2. Reditus personales (sive in mera personali præstatione consistentes, neque rem habentes subjectam, ex qua sint debiti) ad classem mobilium pertinent, eō quod personam sequantur; at verò reales (sive super fixis & stabilibus corpori-*

& greges. Stat. Trev. Tit. 7.  
§. 2. & 3.

679 2dum: In Electoratu Coloniensi mobilibus accensente:

- 1 Pecunia parata (nisi ex solita sorte annuorum reddituum, aut venditis immobilibus, redacta)
- 2 recognita aut obligationes in annuos redditus non expostæ;
- 3 satæ fruges; vina, vite primo vinculo ligata; fructus arbutei, & gramina post Imam Martii;
- 4 locagia pro rata temporis: ligna cædua, modò cæsa, aut à proprietario tantum vendita; pensiones solutorum capitalium; anni conductionum ab utroque conjugum initarum; non consumpta vina, frumenta, argentum, pecora, agraria, supellecilia, libri, arma, & omnia, clavis non affixa, & eo pertinentes actiones. Quæ præter hæc fundo aut domui adhærent, fornaces terreæ, ahena cerevisaria, cella torcularia, folles officiarum ferrarum, & similia, immobilia habentur. Ord. Elect. Col. Tit. 8. §. 7, ut suprà n. 671.

680 3tium: Contra inter mercatores, in quæstione successio[n]is, merces ad eoram nego-

ciationem pertinentes immobiles sunt, immobilia nautarum naves, & eò referibilia, anchoræ, funes & ejusmodi.

Ord. Elect. Colon. Tit. 8. §. 8.

4tum: In Ducatibus Juliae 681

& Montium ad classem immobilium referuntur, domus, areæ, agri, sylvæ, pascua, censüs hæreditarii, redditus perpetui & irredimibiles, etiam redimibiles ex parte debentis, emphyteuses, p[ro]l[oc]ationes, curmedæ, servitia & jura hæreditaria. Stat. Julian. cap. 95.

So vill Melchior Voets in hist. Jul. n. 212. & seqq.

5tum: Mobilium jure in

his ducatibus reguntur redditus redimibiles ex parte accipientis, quo ad fortē aequè ac annuos redditus, reguntur hoc jure hypothecæ, res argenteæ, parata pecunia, supellex, & proprietas clavis non affixa, agri arati & occati, vineæ, primo vinculo ligata, mercedes locationum, cessæ pensiones, & redditus. Ord. Jul. cap. 95.

So vill Melchior Voets in hist. Juris Jul. n. 212. & seqq.

6tum: In principatu Leo-

dien[s]i actio ad mobile est mobilis,

mobilis, ad immobile immo-  
bilis; annuus redditus, etiam  
redimibilis, pretium ad annu-  
um redditum, constante matri-  
monio, numeratum, pretium  
ex retractu gentilitio redditus,  
constante matrimonio, quæsiti,  
eo soluto redactum, hulli- &  
aliæ fodinæ, cupa & lebes bra-  
xatorius, cacabi, aliaque dolia  
minora, licet non cohærentia  
ædificio, pensiones & cano-  
nes annuorum reddituum, non-  
dum cessi, immobilibus; con-  
tra redditus, stante viduitate,  
quæsiti, uti & ipsa prædia,  
quoad successionem, sylva ven-  
dita ad cædendum, pars hul-  
lidinarum, ad earum magi-  
stros, & socios pertinens, me-  
talla eruta, & officinarum in-  
strumenta, ædificio non cohæ-  
rentia, molendina navalia, pen-  
siones, & canones cessi, mo-  
bilibus annumerantur. *Caro-  
lus de Mean in jus Leodiens.  
obs. 98. per tot.*

684 7mum: In Marchia Bran-  
denburgensi pecunia, pecunia  
parata, sigilla, & literæ, cre-  
dita, vestes, res argenteæ, su-  
pelleætilia, mobilia sunt. *Fo-*  
*achimus Scheplitz in consuetu-*

dines Brandenb. p. 3. Tit. 2.

§. 2.

8vum: In Urbe Agrippi- 683  
nensi hypothecæ prædiorum,  
conjugibus per scrinium com-  
municatorum, immobilibus,  
actiones contra merè persona-  
les mobilibus annumerantur.

### TITULUS III.

Ad res incorporales perti- 686  
nent Servitutes, quarum aliæ  
sunt *reales*, seu *prædiales*, aliæ  
*personales*; Hæ vel merè per-  
sonales, quam *persona* debet per-  
sonæ, de qua egi *Lib. I. Inst. . . .*  
vel *personales simpliciter*, quas  
res servit personæ, ut sunt usus.  
usus, & habitatio; *de quibus*  
*Tit. 4. & 5.* Hic ergò tractan-  
dum est de servitutibus reali-  
bus, seu prædialibus.

Est autem Servitus realis, 687  
seu prædialis *Jus in re aliena*  
*contra naturam constitutum*,  
quo prædi dominantis utilitas  
augetur, & servientis dimi-  
niuntur. Widmond ad ff. de  
servitut. num. 10, nam omnia  
prædia de suâ natura sunt libe-  
ra,

ra, & hinc servitus prædii dominantis (quod servitutem exercet) utilitatem auget, prædii autem servantis (quod servitum debet) commodum diminuit. Ita quo ad rem Harprecht h. in. pr. n. 6.

688<sup>a</sup> Servitus realis imo abit in urbanam & rusticam; *Urbana* est jus quod prædium urbanum alteri prædio debet. v. g. oneris ferendi & tigni immittendi servitus &c. . . . *Rustica* autem est jus, quod prædium rusticum alteri prædio debet. v. g. iter, actus, via &c,

689 Quæres 1. Quodnam prædium in hac materia servitutum sit urbanum, quodnam rusticum? Resp. *Urbanum prædium est omne ædificium etiam horreum, & stabulum; contra rusticum est omnis fundus ædificio vacuus.* Ita Imp. in s. 1. Inst. b. quia ædificia omnia urbana prædia appellamus, licet in villa ædificata sint. Nec non JCtus in L. 1. ff. commun. præd. ibi: ædificia urbana quidem prædia appellamus.

690 Quæres 2. An servitus denominetur à prædio serviente, an à prædio dominante? Resp.

à prædio serviente, *Ratio* est: quia in s. 1. Inst. b. urbanorum prædiorum servitutes ædificiis inhærent, cum contrâ servitutes rusticæ solo inhærent. L. 3. ff. de servitut. Coccejus eod. q. 1. Unde,

Infertur 1. Si vicinus per aream vel domum meam ire possit, erit servitus rustica, quia fundus servit, non ædificium. Coccejus l. c. cum per muros & parietes non eatur. Non obstante L. 20. pr. §. 1. de servit. urb. præd. Quia ibi non dicitur servitus urbana tale iter,

Infertur 2. Actus, aquæ- ductus &c. per alterius domum competentes, sunt servitutes rusticæ, non urbanæ, quia solo inhærent, non ædificio. Coccejus loc. cit. Non relevante L. 11. §. 1. ff. de publ. in rem act. Nam hæc lex denominat servitutem à situ, quæ denominatio usui juris non convenit per L. 1. comm. præd.

Infertur 3. Situum ædificium, v. g. domus, meo stabulo, aut horreo debeat altius tollendi servitutem &c. non erit rustica servitus, sed urbana, quia

quia hanc non fundus, sed ædificium debet. Ad obstantem L. 2. ff. de servit. rust. præd. Responsio mox est data. Vid. Laud. Coccejus.

694 Infertur 4. Jus calcis coquendæ in alterius domo ad meæ domi utilitatem est servitus rustica, non urbana §. 2. b. quia non in ædificio, sed solo calx coquitur. Inde porro

695 Infertur 5. Probandam non esse eorum DDrum sententiam, qui denominationem servitutis urbanae vel rusticæ desumendam putant ex usu, nam sic servitus itineris, aqueductus - & haustus, &c. in urbe constituta semper foret urbana, quod erroneum est. Coccejus loc. cit.

696 2dō Servitus realis alia est continua, alia discontinua. Continuæ & discontinuæ servitutis differentia non stat in eo: quod illa habeat causam perpetuam, hæc non, quia omnium servitutum causa est perpetua; L. 28. ff. de Servit. urb. præd. & hinc Vitria b. n. 25. rejicit prædictam divisionem. Unde continua est, cuius usus est continuus, quia cœla

talis est v. g. oneris ferendi &c. Discontinua autem est, cuius usus non est continuus, quod causa continua non sit, v. g. stillicidii, juris pascendi &c.

Requisita servitutis realis 697 sunt sequentia, 1mō: ut duo sint prædia, unum dominans, alterum serviens, sive actu, sive mox, & certò speretur, ea enim, quæ mox futura sunt pro præsentibus habentur. L. 23. §. 1. ff. de servit. præd. urb. Coccejus in Fure cont. h. t. q. 8. Ratio quia servitus relatio est reffens unum prædium ad aliud.

2dō: Ut prædia sint vicina, 698 L. 5. de servit. præd. rust. quandoque vicinitate contiguitatis, v. g. in servitute oneris ferendi, tigni immittendi &c. quandoque sola vicinitate utilitatis, puta: in servitute, ne prospe- Etui officiatur. Ratio: quia de substantia servitutis est, ut unius prædii utilitas augeatur, alterius autem minuatur.

3tiō: Ut prædium prædio ex 699 hac servitute afferat utilitatem. Hinc ut pomum decerpere, coenare, aut spatiari in alieno liceat, servitus imponi nequit. L. 8. ff. de servit. Licet ad præmissos

missos electus jus quodcumque personale competere possit. Anton Faber in rational. ad d. L. 8.

700 4tò : Ut causa servitutis sit perpetua, hoc est: ut natura rei perpetuò usum concedat, licet non continuò, & exercitium quandoque interrupatur. Exemplum habes ex L. 28. ff. de servit. præd. urb. in servitute stillicidii. Ratio est: quia servitutes aliud non sunt, quam prædia qualiter se habentia, per consequens, sicuti ipsa prædia sunt perpetua, ita pariter servitutes. Ita Laud. Faber ad L. 28. cit.

701 Servitutes constituuntur vel actu inter vivos, vel ultimæ voluntatis §. 4. h... Constitutæ autem per actum inter vivos, si affirmative sint, patientiâ constituentis (v.g. si is patiatur tignum immitti) acquiruntur, si negativæ sint, ejus intermissione, v. g. si constituens omittat altius tollere; Dixi: constitutæ per actum inter vivos, nam constitutæ per actum ultimæ voluntatis ipso jure acquiruntur. Arg. L. 19 §. 1. quemad. servit. amitt.

Servitutes amittuntur I. 702 Confusione, saltem perpetuâ, v. g. si unus fiat & servientis & dominantis prædii dominus, quia res sua nemini servit. L. 10. Comm. præd.... 2. Interitu perpetuo prædii vel dominantis, vel servientis. L. 14. quemad. servit. amitt. 3. Remissione vel expressâ, vel tacitâ, v. g. permittendo foramen obstrui. 4. Negligentiâ, aut non usu per 10. annos continuato regulariter amittitur servitus rustica. L. 10. §. 1. ff. eod. Dixi: Rustica, nam urbana solo non usu non amittitur, sed requiriatur factum servituti contrarium, L. 6. ff. de servitut. urb. præd.

## COROLLARIA

### De servitutibus prædialibus.

1mum: Nulla servitus prædialis de jure Romano in faciendo, sed omnis in patiënto consistit. L. 15. §. 1. ff. de servit. Ratio: quia à prædiis debentur, quæ nihil facere possunt. Non obstante, quod debens servitutem oneris, teneatur parietem reficere, nam il-

la refectio tantum est finis se-  
cundarius, cum principalis sit  
exantatio oneris.

704 2dum: Servitus altius tol-  
lendi de jure Romano consti-  
tui nequit, ut vicinus ædifi-  
cium suum altius tollat ad ar-  
cendum ventum, impediendos  
radios solares &c. quia nulla  
servitus in faciendo consistere  
potest; sed eo casu erit tantum  
jus per sonale, à servitute di-  
stinctum. *Coccejus de servitut.*  
*præd. urb. q. 2.*

705 3tum: Dari servitutem al-  
tius tollendi, quâ vicinus te-  
neatur pati, ut fenestræ obs-  
curentur, talem autem non  
agnosco in facti specie à *Coccejo*  
*loco cit. proposita.* Probo meam  
sententiam ex *L. 2. ff. de servit.*  
*præd. urb. ibi :* *Urbanorum*  
*prædiorum jura talia sunt altius*  
*tollendi & officiendi luminibus*  
*vicini, aut non extollendi.* Nec  
non ex *L. 10. eod. ibi :* *non du-*  
*bium est, quin heres possit altius*  
*tollendo obscurare lumina lega-*  
*tarum ædiorum;* ex quo infertur:  
jus altius tollendi, & luminibus  
officiendi esse unam servitu-  
tem. *Lauterb. concl. for. Exercit.*  
*18. §. 3.*

4tum: Hodiernis moribus 706  
etiam servitus altius tollendi  
constitui potest, ut dominus  
prædii servientis ad utilitatem  
vicini teneatur suum ædifici-  
um altius tollere, & sic patet ex  
interpretatione JCtorum ma-  
teriam servitutis Romanam in  
hoc passu esse extensam. *Manz.*  
*ad Tit. ff. de S. U. P. q. 20. n.*  
*80. & seqq.* *Lauterb. L. C.*  
*lit. B* dissentit *Coccejus de ser-*  
*vit. q. 11.*

5tum: Quod, licet de ri- 707  
gore juris Romani servitus re-  
quirat causam perpetuam, mo-  
ribus tamen nostris etiam ser-  
vitus constitui possit, quæ cau-  
sam perpetuam non habet v.g.  
servitus effundendæ aquæ &c.  
in alterius aream, prout testan-  
tur *Brunn. ad L. 28. ff. de S. U.*  
*P. n. 5. & Manz. n. 168. post*  
*alios* Quemadmodum quod  
hoc quoque moribus Roma-  
norum obtinuerit, videtur  
innuere modò *L. 9. ff. de*  
*S. P. R.*

6tum : Dominus prædii 708  
dominantis nihil agere potest,  
quo servitus durior efficiatur.  
*L. 20. §. 5. ff. de S. P. U.* Unde  
habens servitutem stillicidii

S 2 elevare

elevare rectum potest, non autem deprimere. d. L. 20. §. 5. ita pariter rectum retro duci potest, non autem ultra praestitutam formam produci. d. l. 20.

*unius vel*

709 *7num*: Jus compascui de jure Romano veram servitatem non esse, nam nec est personalis, nec praedialis, non prior, quia personalium species enumerantur Lib. 7. Pandect. neque est praedialis, quia ad fundi dominantis utilitatem non pertinet. Nec obstat, quod idem de servitute pascendi dici posset, nam patet ex L. 6. in f. ff. de S. P. R. quod illa ad pecora, quae in utilitatem agris sui quis habet, restringatur. *Coccejus cod. t. q. 2.*

710 *8vum*: Non dari de jure Romano servitutes extraordinarias, sive praediales, quae ad personam restrictae sint, nam si augeant praedii utilitatem, praediales sunt, si minus, tales nullo modo dici possunt, sed jura personalia, personae data, uti emplum est in L. 14. §. fin. ff. de alim. legat. *Coccejus q. 1. de usuf.*

711 *9num*: Putarem tamen Co-

rollario 7. & 87. enumerata jura saltem quo ad aliquos juris effectus hodie servitutibus an numerari posse ex prudentum Germaniae interpretatione.

## TITULUS IV.

### *De usufructu.*

Nunc de Servitutibus personalibus, nimirum *Usufructu, Usu, & Habitatione*. Est autem Usufructus *Jus utendi fruendi re aliena, saluus ejus substantia*. pr. h. . . Dixi 1. *utendi fruendi*; nam plus importat *uti frui* (nempe fructus etiam ultra quotidiam necessitatem percipere) quam *uti tantum*, quod proprium est usui juxta inferius dicanda

Dixi 2. *re aliena*: quo significatur, usumfructum *materiale vel causale, qui est pars dominii, cuius vi dominus re proprietatis utitur, L. 4. ff. h. t. esse talen latissime, cum res sua nemini serviat*; & per consequens inde fluit: *usumfructum formalem, qui separatus est a proprietate, statim esse definitum.*

Dixi

714. Dixi 3. Salvâ ejus substantiâ: quia fructuarins non potest deteriorem facere rei substantiam, sed ita tenetur uti, ut dominus securus sit de proprietate, & hinc juxta inferius dicenda tenetur cavere, quod uti velit re boni viri arbitratu, & finito usufructu rem integrum testituere. Manz. b. ad pr.

715. Ususfructus alius est proprius, seu verus, alius impropus, sive quasi talis. Verus est *Jus utendi fruendi re alienâ, in specie consistente*, qualis est fundus, domus &c. Quasi ususfructus est *Jus utendi fruendi re fungibili, seu quæ primo usu consumitur*, qualis est vinum, frumentum, oleum &c.

716. Quæres: Quomodo quasi usufructui data definitio adaptari possit, cum res hic non sit aliena, nec *salva substantia restituatur*? Resp. 1. quia usufructarius hic aut estimacionem, aut tantundem tenetur restituere; hinc fictione juris fit, ut res fungibilis censeatur esse aliena. Vitria. ad Inst. tit. de usufr. ear. ver. n. 6.

718. Resp. 2. Quia rerum fungibilium proprietas utendo ab-

tumitur, hinc Senatus per cautionem quasi usumf. constituit.

§. 2. Inst. b. adeoque cautio vi- cem proprietatis sustinet. Coce- jesus in jure cont. de usuf. ear. rer. q. 2. aut potius cautio est causa sine qua non quasi usufructus, prout tenet Vitria. l. c. n. 7.

Ususfructus, prout patet ex 719 dictis, importat *Jus utendi fruendi re salvâ substanciali*, proinde modò videndum est, quid usufructarius in fundo fructuario possit, quid non possit? Resp. Usufructarius fundo fructuario non tantum uti debet ut bonus paterf. sed etiam ita, ut salvam relinquit substanciali, hoc est: rei proprietatem. L. 1. ff. b. t. Ratio: ut dominus finito usufructu rem salvam recipiat.

Ex quibus infertur 1. Quod constituuto fundi usufructu non possit fructarius arbores frugiferas excidere, nec villam diruere, nec deambulationes in prædio voluptuario, arboribus infructuosis opacas & moenas, dejicere &c. L. 13. §. 4. ff. b. t. Rationem dat Faber add. l. 13. §. 5. eò quod domi-

nus proprietatis pluris prædicta faciat, quām hortum olitorium.

**721** Infertur 2. Quod usufructarius ædium, usufructu constituto, non possit cubicula, conclavia, hypocausta transformare, conjungere, aut separare, nec januas vertere, nec atrium mutare &c. prout loquitur d. L. 13. §. 7. b. t. Ratio est: quia etiam res, in meliorem statum commutata, sit deterior, cùm species ejus & qualitas commutatur. *Ant. Faber ad. d. L. 13. §. 9.*

**722** Infertur 3. Quod fructarius, saltem de jure Romano, possit lapidinas, vel creti, vel areni - vel etiam auri - aut argenti fodinas inquirere & instituere. L. 13. §. 5. b. t. Modò agriculturæ non noceatur, nec proprietarius eo sumptu onetur, quem sustinere nequit. Ratio: quia eo casu non mutata facie fundus redditur & utilior, & pretiosior, cùm rei facies sit quæ supra terram est, non quæ infra. *Laud. Faber ad d. L. 13. §. 6.*

**723** Infertur 4. Quod fructarius pariter possit lumina im-

mittere, picturas & marmora ponere, & si quid aliud est ad domū ornatum. *d. L. 13. §. 7.* Ratio est: quia ex dictis regularia est, quod fructarius possit meliorem proprietatem facere, modò non mutet faciem rei, neque proprietarium immodico sumptu gravet. *Laud. Faber ad d. L. 13. §. 8.*

Hæc de quæsito: *Quomodo 724 usufructarius reuti debeat salvare ejus substancialia: at nunc vindendum: Quæ commoda habeat ex usufructu fructarius?* ad quod Resp. 1. Fundi usufructu constituto usufructarius habet, quidquid in fundo nascitur, & inde percipi potest. *L. arbores 59. §. ff. b. t.* nec non *L. 9. in pr. b. t. . .* Modò boni viri arbitratu utatur *d. pr.* & ipse, aut alias ejus nomine natum in fundo percipiat. §. 36. *Inst. de rer. divis.* Ex quo

Conclades 1. Ad fructarium, saltem de jure Romano, pertinere compendia metallifodinarum. *L. 13. §. 5. ff. b. t.* Ratio: quia & metalla in fructu sunt. *L. 7. §. 14. ff. solut. Matrim.* Modò fructarius fodinis. ut bonus paterf. utatur.

Con-

**726 Concluſes 2.** Lapidicinas quoque ad fructuarium pertinere, si lapides renascantur, alijas enim in fructu non sunt, neque fructuario cedunt, quia boni viri arbitratus non utetur fundo, qui totus ex lapidibus, non renascituris, constaret, si omnes lapides inde extisherentur. *Ant.* Faber *ad L. 9. ff. b. t.* decisio habetur *in L. 7. §. 13. ff. solut.* *Matrim.* & apud Brunn, *ad L. 9. h. t. n. 2.*

**727 Resp. 2.** Sylvæ cæduæ usufructu constituto fructarius non tantum ramos ex arborebus pro familiæ usu sumere, sed etiam arbores ipsas cædere, & vendere potest. *L. 9. §. fin. ff. b. t.* Ratio: quia arbores sylvæ cæduæ sunt in fructu. Unde

**728 Sequitur 1.** Fructuarium sylvæ non cæduæ non posse arbores grandes cædere, minus cædas vendere; prout exprimitur *in L. 11. ff. b. t.* Ratio: quia eo cau grandes arbores non sunt in fructu, sed pertinent ad fundi substantiam.

**729 Sequitur 2.** Arbores grandes in sylva non cæduæ evulsas;

aut vi ventorum dejectas regulariter non spectare ad fructuarium, sed proprietarium, quemadmodum *in L. 12. pr. b. t.* deciditur. Ratio: quia stantes sunt proprietatis pars, neque unquam in fructu fuerunt, ergo manent proprietarii. *Vid. Faber in ration. ad L. 12. cit.*

**Sequitur 3.** Arbores demor- **730**  
tuas in sylvâ etiam non cædua, aut arefactas esse fructuarii, non proprietarii. *L. 18. ff. b. t.* quia, ut inquit textus, fructarius in illarum locum tenetur alias substituere, per quod patet ratio diversitatis, cur vi ventorum evulsæ maneant proprietarii, cum fructarius in harum locum non substituat alias. *Ita Faber ad L. 18. cit.*

Cum fructarius ex re fru- **731**  
ctuaria habeat commodum, sentiat & onus, necesse est. *L. 10. de R. f.* Quare modo vindendum: *Quæ onera usufructuario incumbant?* *Resp. 1.* Usufructarius tenetur cautionem præstare, & quidem in vero usufructu. *Primo;* *Quod uti velit boni viri arbitratus, sive quod proprietatem nolit reddere deteriorom.* *L. 1. pr. ff. usuf.* que-

quemad. cauent... 2dō: quod rem finito usufructu non deterratam velit restituere. d. L. I. .... In quasi usufructu autem cautio tantum unicum requirit, nempe: quod finito hoc usufructu aut eadem res in genere, aut aestimatio sit restituenda. §. 2. Inst. b.

732 Resp. 2. Tenetur fructuarius ad dolum, latam & levem culpam. L. 65. ff. h. t. ubi debet præstare, quod diligens paterf. in sua domo facit. Coccejus in Jure controv. h. t. q. 14. Harprecht. ad §. 2. Inst. b. t. m. 142. Nec obstat: quod solius fructuarii vertatur utilitas; nam illa regula non procedit in iuribus in re, ubi gradus culparum non sunt definiti. Italaud. Coccejus. Ampliatur: licet in propriis rebus esset negligenter, non tenetur tamen ad levissimam, nisi in propriis esset exactissimus.

733 Resp. 3. Fructuarius ædes fructuarias ex propriis tenetur reficere, si refectio sit modica, nam si ædes planè corruissent, illas non obligabitur redificare, quia & alia opera agnoscit.

L. 7. §. 2. ff. b. t. ad stipulatur Carpz. p. 3. const. 31 def. 9.

734 Resp. 4. Fructuarius quoque collectas, pensiones, canones, tributa, similesque præstaciones sive ordinarias, sive extraordinarias regulariter subire debet. L. 27 §. 3. ff. h. t. Ratio: quia res transit cum suo onere, & præmissa onera prædiis inhærent. vid. Carpz. lib. 1. resp. 105. per tot.

735 Ususfructus constituitur & à lege v. g. patri, & ab homine v. g. domino proprietatis, vel pactis & stipulationibus. §. 4. Inst. de servit. præd. aut ultimâ voluntate.

736 Ususfructus amittitur morte ususfructuarii tam naturali, quam civili. s. 3. Inst. b. ... 2dō non usu inter præsentes per 10. inter absentes per 20. annos continuato. §. 3.. 3tō: rei fructuariæ interitu. §. 3 h. 4tō: consolidatione, aut cessione domino proprietatis factâ. §. 3. cit.



**COROLLARIA.***De usufructu.*

737 **Primum:** Quòd, licet quo ad bonæ fidei possessorem venatio non sit in fructu fundi. *L. 26. 26. de usurp. & fruct. attamen fructus venationis quoque de jure Romano sint fructuarii.* Ratio: quia ad fructuarium spectat quidquid ex fundo percipi potest, quò pertinet fera. *L. 9. §. 5. b. t. secus ac ad bonæ fidei possessorem, qui fructus tantum percipit jure soli.* *Coccejus b. t. q. 10.*

738 **2dum:** Hodie autem, quia fructus venationum in domino sunt Principis, aut ejus, qui populo præst, juxta superius tradita, hinc usufructu fundi à privatis (jure venandi destitutis) concessio, non est jus venandi datum, quia nostro jure venationes non sunt dominii bassi effectus.

739 **3tum:** Fructus fodinarum, jam institutarum, licet non renascantur, pertinent ad fructuarium, saltem de jure Romano, quia non malè uti-

tur, qui ad exemplum & ducetum alterius patrisf. utitur. Arg. *L. 8. ff. solat. Matrim.* Unde fructuario terræ uistilis fructus malè est denegatus, apud Sande *L. 5. t. 3. defin. 2. § 3.* Simile habes insylva cædua.

Dixi 1. *Licet non renascan-* 740  
*tur: nam harum fodinarum no-*  
*viter institutarum aliquæ in*  
*fructu non sunt, nisi renascan-*  
*tur. Arg. L 7. §. 13. ff. sol. ma-*  
*trim. v.g. lapidicinæ; illa-*  
*rum autem aliæ in fructu sunt,*  
*ut non renascantur, v.g. au-*  
*ri-argenti-aut creti-fodinæ &c.*  
*L. 7. §. 14. eod. Coccejus ad ff.*  
*h. qu. 11.*

Dixi 2. *Saltem de jure Ro-* 741  
*mano:* quia hodie sub distin-  
*ctionibus propositis fodinæ*  
*tantum minores, & non ita*  
*pretiosæ in fructu sunt, ubi ap-*  
*paret illas per Principes occu-*  
*patione illâ universali non esse*  
*occupatas, pretiosiores verò*  
*v.g. auri-aut argenti-fodinæ*  
*pertinent ad Principes seu do-*  
*minos territoriales. vid. Krebs*  
*de ligno & lapide p. 2. classe 3. sect.*  
*3. §. 6. 8. & 9.*

4tum: Thesaurus nequi- 742  
dem de jure Romano est in

T fructu

138

*Instit. Lib. 2. Tit. 5.* *in principatu Lichtensteini*  
fructu. L. 7. §. 12 ff. solut. mar-  
trim. minus de jure Hodierno,  
eò quod thesauri per Principes  
occupatione illâ universali su-  
periùs expositâ, sint occupati,  
& hinc fructus sunt dominii il-  
lius eminentis.

743 *5tum:* Jure Electoratûs Co-  
loniensis ultimò superstes con-  
juxin defuncti bonis allatis, &  
stante matrimonio devolutis  
immobilibus, item in redditibus,  
sive re-sive irredimibilibus, in  
parata pecunia ex soluto an-  
nuorum reddituum capitali re-  
dacta, usum fructum habet, si  
liberi ex eo non sint, at liberis  
extantibus habet utumf. dotis,  
& aliorum allatorum, vel stante  
matrimonio in defunctum de-  
volutorum, & acquisitorum  
bonorum. *Ordinat. Elect. Col.*  
*Tit. 8. §. 3. § 6.*

744 *6tum:* In ducatis Juliae &  
Montium in bonis matrimonio  
illatis, hereditariis, ex linea  
ascendentali profectis; stante  
eo acquisitis, immobilibus, rup-  
to thoro, ad liberos devolu-  
tis, ultimò superstes usufructu  
gaudet. *Ord. Juliac. cap. 95. §.*  
*Si vill Melchior Voets in his-.*  
*Juris Jul. n. 240.*

*7mum:* Ususfructus bono- 745  
rum, soluto morte alterutrius  
conjugum matrimonio, eo  
constante possessorum, prop-  
rietate tenus ad liberos de  
volutorum, manet penes ul-  
timò superstitem. *Carolus de*  
*Mean in jus Leod. obs. 112. n. 1.*

*8vum:* In Marchia Bran-  
denburgensi, patri debetur u-  
susfructus in bonis liberorum  
maternis, etiam mortuâ uxore  
institutâ juxta jus Marcanum  
cum liberis divisione, nisi si-  
mul emancipentur *Joachimus*  
*Scheplitz in consuetudines Bran-*  
*denb. p. 3. Tit. 3. §. 1. n. 3.*  
*§ 4.*

*9num:* In urbe Colonien- 747  
si prædiorum, per scrinium  
utrique conjugum communi-  
catorum, & medietatis mobi-  
laris, ususfructus, rupto per  
obitum thoro, est ultimò su-  
perstitis. *Statut. Civ. Col. part.*  
*1. §. 13. Extens. summariss. §.*  
*13. § 19.*

*10mum:* In Electoratu Tre- 748  
virensi fructus à fundo sepa-  
rati, nec non ligna cæsa, spectant  
ad hæredes fructuarii, qua-  
tus autem lapidicinarum quo  
ad

ad proprietatem est proprieta-  
rii. Statut. Trevir. Tit. 8. s.  
1. & 9.

quotidianum vietum est necel-  
sarium. Manz. ad h. t. ff. n. 19.  
Ratio: quia omnia illa potest  
usuarius, quæ naturæ usus con-  
gruunt.

## TITULUS V.

749 Secunda servitus personalis  
est *Usus*, seu *Jus utendi re alie-  
nâ, salvâ ejus substantiâ.* §. 1. h.  
Dicitur autem: *Jus utendi*:  
unde colligitur in usu minus  
esse, quam usufructu, cum u-  
suarius solummodo ex fructi-  
bus tantum sumere possit,  
quantum opus habet ad necel-  
litatem quotidianam. L. 22. §.  
2. ff. h. t. Ex quibus

750 Deducitur 1. Quod usuari-  
us usum non possit locare, ne-  
que vendere, neque etiam gra-  
tis concedere. Manz. §. minùs.  
*Inst. b.* quia conductoris &  
emotoris alia & fortè major  
esse posset necessitas, & ita  
ius redderetur durior, quod  
naturæ servitutum repugnat.

751 Deducitur 2. Usuarium fun-  
di habere etiam ius in fundo  
deambulandi, & utendi fru-  
ctibus naturalibus, quatenus  
horum iurium exercitium ad

Deducitur 3. Usuarius ædi-  
um non tantum ipse has inha-  
bitare potest; sed etiam cum  
tota familia, imò cum hospiti-  
bus. Manz. l. c. n. 31. Ratio:  
quia sine his moraliter habitare  
non possumus, ergo hæhabi-  
tatio requiritur ad quotidiana-  
nam necessitatem.

Deducitur 4. Quod usua-  
rius, ut bonus pater, re uti de-  
beat, & eatenus præstare cau-  
tionem, quod primò boni viri  
arbitrari uti velit, & 2dò quod  
finito usu rem salvam sit resti-  
turus. Vid. diēta de *Usufructu.*

Tertia species Servitutum  
personalium est Habitatio, seu  
*Jus in alienis ædibus gratis habi-  
tandi.* Differt ab ius primò,  
quod qui habitationem habet,  
ædes alteri possit locare, usu-  
arius autem non aliter, quam si  
ipse ædes inhabitet. *Vitr. b.*  
n. 7. Rationem diversitatis dat  
Manz. ad §. 5. *Inst. b. n. 11.* quia  
habitatio magis in facto, ius  
autem potius in iure consistit,

jam autem quæ facti sunt, etiam per alium præstari possunt, non ita quæ juris.

755 2dō: Usus & habitatio differunt, quod ille non utendo amittatur, secus hæc (quia in facto consistit) sed tantum morte. L. 10. pr. h. t. Vitria. h. n. 7.

## TITULUS VI.

*De usucaptionibus, & longi temporis præscriptionibus.*

756 Post absolutos modos acquirendi rerum dominia naturales, prout loquitur Imperator, videndum est de civilibus, quorum alii sunt universales, quibus acquiruntur res universales, v. g. haereditates per testamenta; alii singulares, quibus res singulæ acquiruntur, v. g. usucapio, donatio &c. de quibus modò.

757 Usucapio est adjectio dominii, per continuationem possessionis temporis lege definiti. sive ut accuratiū Franz. b. n. 4. est modulus acquirendi, quo jus, vel liberationem privilegio temporis

nanciscimur. v. g. emi rem à non domino, quem dominum esse credebam, si possideam hanc rem bonâ fide per tempus à lege definitum, dominium ejus mihi acquiro. Ratio: ut dominia rerum tandem certa sint, & puniatur negligentia dominorum, res suas debito tempore non repetentium.

Præscriptio imprimis, ex 758 mente Vitriariorum b. n. 6. alia est quæ æquiparatur usucaptioni, alia quæ est præscriptio in specie sic dicta, sive modus elidendi jus alienum, v. g. mortificandi jus exigendi premium exemptione venditione; Præscriptio autem, quæ usucaptioni strictè dictæ æquiparatur, est alieni juris acquisitionis.

Præscriptio deinde ex sententia Neuman ad Swederum p. gener. cap. 4. resp. 2. post Grot. de Jure B. & P. lib. 2. cap. 4. §. 1. & seqq. alia est juris Gentium, alia est juris merè Civilis; Illa consistit in tacito rem nostram derelinquendi animo, ex diuturno scientis, & liberè volenti silentio præsumpto, de qua ago in Prodro. juris p. quad. Hæc autem in requisitis à jure Ci-

Civili repertis est collocanda.  
Franz. b. n. 8. de quibus antequam agam, prius resolven-  
dum est

760 Dubium: Ex quo jure de-  
cidendæ sint quæstiones super  
requisitis usucaptionis emer-  
gentes, & quibus auctoritati-  
bus sententiæ sint firmandæ?  
Resp. cùm versemur h̄c in ma-  
teria peccati, in qua legislator  
laicus non habet jus statuendi,  
jus Civile h̄c non aliter, nequi-  
dem in foro Civili, dispositivè  
potest allegari, quām in qua-  
tum juri Canonico non est con-  
trarium, aut quousque per hoc  
est canonizatum. vid. Reiffenst.  
in *Præmio ad Decret.* §. 12. n.  
217. & 219. quo ad auctorita-  
tes autem tutius est sequi  
DDres Catholicos, aut si Pro-  
testantes à jure Canonico non  
desflectant.

761 Nunc de requisitis Usuca-  
pionis, qualia sūnt primò bona  
fides, cap. Vigilanti 5. & b. t.  
sive credulitas, quā quis pru-  
denter sibi persuadet, rem quam  
possidet, esse suam. Reiffen. &  
de præf. n. 57... 2dō Justus ti-  
tulus, cap. 17. & b. t... 3tiō  
tempus à lege definitum....

4tō possessio cap. 3. de R. f. in 6.  
Bona fides ergò primum est

762

Usucaptionis requisitum, quæ  
ad eam in utroque foro ita est  
necessaria, ut non tantum cum  
mala fide præscriptio non pos-  
sit inchoari; sed nec longissi-  
mo tempore (hoc est: 30. aut  
40. annis) imò nequidem im-  
memoriali compleri, cap. ult.  
& b. t. Ex ratione, quoniam  
omne, quod ex fide non est, pec-  
catum est; Barbosa ad cap. ult.

& ab eodem allegati: Unde

Conclades 1. L. un. C. de

763

*Usucap. transform.* nec non §:  
*Diutina 12. Inst. b.* ubi statui-  
tur: *Quod mala fides superve-  
niens nec volenti præscribere,*  
nec ejus heredi obfit: per mox  
allegatum cap. ult. & b. t. esse  
correcta, & abrogata, quia  
Jus Canonicum in hac peccati  
materia juris Civilis est abroga-  
torium.

Conclades 2. Hanc regu-  
lam: *De requisita ad Usuca-  
pionem quamcumque bona fide:* ex-  
tendi quoque ad obligationes  
& actiones, tendentes ad agen-  
dum, vel non agendum. v. g.  
ad solvendum id, quod ex mu-  
tuuo debes &c. aut ad non ve-

nandum, non ædificandum &c. *Leuren. For. Eccles. h. qu. 920. n. 3.* ut hæ pariter cum mala fide nullo unquam tempore præscribi possint. Ratio: quia stante malâ fide ne ullo quidem tempore potes id, quod est alteri debitum retinere, nec jus novum tibi acquirere.

*765 Dux: 2: 271* *Dixi: Obligationes & actiones, tendentes ad agendum, aut non agendum, cum mala fide non esse præscriptibiles:* nam si tendant ad patiendum, aut sustinendum onus aliquod, v. g. ad solvendam pœnam, ad permittendum exercitium servitutis rusticæ &c. omnino cum mala fide, ita loquendo, præscribi possunt. *Reiffenst. h. t. n. 107.* Ratio: quia hisce casibus obligatus ad onus non tenetur ad agendum, nisi alter petat, & hinc mirum non est, quod is ex legis dispositione ab agendo excludatur, secus est in priori casu, quia agere teneris, aut ab agendo v. g. ædificando abstinere.

*766 Conclaves 3. Malam fidem antecessoris quoque nocere successori universalis immida-*

to, seu hæredi, licet velit tempus usucaptionis à se incipere, & 30. aut 40. annis rem possedisset. *Covarr. p. 2. in cap. Posseffor s. 9. n. 1. Leuren. h. q. 926. n. 3. Reiffenst. h. n. 134.* & alii ab his allegati. Ratio: quia per *Nov. 48. in prefat.* haeres immediatus eadem cum defuncto fingitur esse persona, non tantum de jure Civili, verum etiam de jure Canonico, per consequens, ut defunctus ob veram malam fidem non potuit præscribere, ita neque haeres immediatus propter fidem.

*Dixi 1. Hæredi mediato:* *767* nam hæredi mediato, puta: hæredis hæredi, mala fides antecessoris non obest in ordine ad præscribendum, modò velit tempus usucaptionis à se inchoare. *Pirrh. h. t. n. 70. Leuren. n. 70. & Reiff. n. 138.* Ratio: quia haeres mediatus duntaxat antecessorem immediatum repræsentat, ne fictio detur fictionis.

*- Dixi 2. Successori universalis:* *768* quia successori particulari v. g. emptori, donatario &c. mala fides antecessoris non obstat; modò

modò tempus à se velit incipere. *Leuren. n. 2. q. 926.* Reiff. n. 139. Ratio: quia hic antecessorem non representat, eò quod hlc jura nullam singant identitatem.

769 Alterum requisitum ad rerum corporalium usucaptionem saltem ordinarii temporis est *justus titulus*, seu *causa ex se habilis ad dominium transferendum*, v. g. emptio, donatio, legatum &c. Decisio habetur in cap. *Si diligenti 17. &c. h. t.* Ratio: quia sine justo titulo non potest haberri bona fides, absque qua juxta dicta non procedit usucatio. Est communis DD. Dixi: *rerum corporalium*: De rebus incorporalibus dicam in appendice. Ex quo

770 Colligitur 1. Titulum habilem ad dominium transferendum, puta: quod omnia requista traditionis superius explanata concurrant, impedire præscriptionem. *Leuren. in for. Eccles. q. 917.* Ratio: quia tunc dominium transit absque usucacione vi traditionis

771 Colligitur 2. Ad præscriptionem non sufficere titulum,

inhabilem ad dominium transferendum. Rationem dat Franz h. n. 96. quia alias volens præscribere non posset judicare rem esse suam, quod tamen ad præscriptionem requiritur.

Colligitur 3. Titulus, qui ob 772 juris dispositionem est ad dominium transfereendum inhabilis, usucaptionem regulariter impedit, licet de se habili sit, v. g. si quis scienter emisset à pupillo, aut minore sinè tutoris auctoritate, aut curatoris consensu. *Vitria. h. n. 17.* Ratio: quia habens talen titulum est in mala fide.

Dixi: *scienter*: nam si quis 773 ex justo errore minorem crediderit esse majorem, procedit usucatio. *L. 11. ff. pro empto.* Brunnen, *ad cit. Legem.* Ratio: quia eo casu emptor, habens titulum putativum, non potest dici in mala fide esse constitutus.

Tertium requisitum ad usucaptionem 774 est tempus à lege definitum. Est autem tempus, usucacioni rerum mobilium præfinitum *triennium*, at præscriptioni immobilium inter præ-

præsentes decennium, inter absentes vero vicennium. pr. Iust. b. Ratio: quia cum res mobiles censeantur ibi esse, ubi est persona, immobiles autem non, hinc ad harum usucacionem longius tempus est necessarium, ac ad illarum.

775 Quæres 1. Cur in usucacione rerum immobilia distinguiamus inter absentes & præsentes, non ita, si res mobiles sint usucapienda? Resp. Ratio jam est data, quia mobilia nobis semper præsentia esse finguntur, secus ac immobilia.

776 Quæres 2. Quid dicendum, si dominus partim præsens fuerit, partim absens? Resp. anni, quibus quis complevisset usucacionem, duplicandi sunt & annis præsentiae addendi, anni tunc producti conficiunt tempus præscriptionis. Arg. Auth. *Quod si quis. C. de præscr. longi temp.* Ratio: quia anni præsentiae duplicati conficiunt tempus præscriptionis inter absentes. V. g. ex annis fuiti præsens, reliquo tempore absens, tempus præscriptionis erunt quatuordecim anni &c.

Quartum requisitum rerum 777 corporalium usucacionis est Possessio, sive corporalis rei detinuo, corporis & animi, & juris administriculo concurrente. prout probat Reg. 3 *Juris in 6.* finè possessione præscriptio non procedit. Dixi denuò: *rerum corporalium:* nam quæ possessio requiratur & sufficiat ad præscriptionem rerum incorporalium, dicam in appendice.

Notandum autem primò: requiri possessionem proprio nomine habitam, quia is, qui alieno nomine possidet, v. g. conductor &c. propriè possessio non est *Reiffenst. l.c. n. 188.*

Notandum 2. Ad inchoandom præscriptionem requiritur possessio tam naturalis, quam civilis, licet ad eandem complendam sufficiat sola civilis. Ratio est: quia licet possessio solo animo acquiri nequeat, tamen solo animo continuari potest. L. Licet 4. C. de acquir. possess. laud. *Reiffenst. n. 189.*

Hæc de requisitis usucacionis, nunc de rebus, quæ præscribi possunt, statuenda est sequens regula: *Omnies res præscribi* 780

scribi prohibeantur. Ratio: quia laici illius non sunt incapaces. Cap. Quoniam 3. de Jure Patron.

in §. 1. Inst. h. indistinctè conceditur præscriptio rerum ibi non exceptarum.

781 Quæres ergò: Quæ res præscribi nequeant? Resp. 1. Res furtivæ & quæ vi possent x sunt, ordinario tempore saltem, nimurum 10. aut 20. annis, præscribi nequeunt. §. furtivæ 2. Inst. de usucap. Ratio: quia his rebus vitium reale intelligitur inhærere, quod nisi purgetur, præscriptioni locus non est.

782 Resp. 2. Res publicæ, sacræ, spirituales, meræ facultatis &c. præscribi nequeunt. Ratio: quia nec res publicæ, nec sacræ, nec spirituales, nec meræ facultatis (v. g. adire certum molendinum, furnum &c.) possidentur, sine possessione autem usucatio non procedit. Vid. latius Reiffenst. à n. 31.

783 Fallit conclusio in decimis, & jure patronatū, nam illas ante Concilium Lateranense laicis in feuda concessas præscribi posse, probat Cap. 7. §. fin. de his quæ sunt à Prælat. &c. Hoc autem, nemirum jus patronatū est præscriptibile,

## APPENDIX.

## De præscriptione servitutum.

Regula 1. Servitus realis tam 784 rustica, quam urbana cum titulo & bona fide præscribitur spatio ordinarii temporis. L. ult. C. de præscript. longi temp. Brunn. ibi. Ratio: quia hujus & rei corporalis præscriptionis eadem est ratio.

Regula 2. Servitus realis 785 continua affirmativa cum bona fide etiam absque titulo, modò interveniat scientia & patientia domini, præscribitur ordinario tempore. L. 1. & 2. C. de servitut. & aqua. Brunnem. ad cit. L. 1. Ratio: quia dominus fundi sciens & non contradicens servitutis exercitio, videtur illam tacite concedere.

Dixi 1. Affirmativa: nam 786 negativa, v. g. altius non tollendi &c. non aliter videtur præscribi, quam per unius prohibitionem, & alterius acquiescentiam. Brunn. ad cit. Legem

Ratio: quia absque hac prohibitione alter possessione nullâ est munitus, sive qua usucatio non procedit.

787 *Dixi 2. Continua:* Discontinua enim absque titulo non nisi spatio temporis immemorialis præscribitur. Arg. *L. servitutes 14. ff. de servitut.* Ant. Faber ad cit. *L. servitutes.* communem vocat *Brunnenm.* ad allegatam *L. 14.* Ratio: quia, ubi continua non est possessio, præscriptio ordinarii temporis non habet locum.

788 *Regula 3.* Licet ad usucaptionem servitutum urbanarum requiratur bona fides, ad præscriptionem seu extinctionem rusticarum tamen bona fides non ex necessaria. *Leuren. in For. Eccles. h.t. q. 935.* Ratio: quia ad extinguendas servitutes rusticas nullum factum ex parte volentis præscribere requiritur, secus ac ad mortificandas urbanas.

### COROLLARIA.

#### *De præscriptionibus.*

789 *Imum:* In Electoratu Coloniensi redditibus, censibus,

præstationibus, nullâ per quadraginta annos factâ exactione, præscribitur. *Ordinat. Elector. Col. Tit. 16. §. 1.*

*2dum:* Juri exigendi annuos redditus, reales & personales præstationes aëtivum in Electoratu Trevirensi XXX. annis præscribitur, præscribitur eodem tempore & passivo. *Statut. Trevir. Tit. 21. §. 5. § 6.*

*3tum:* Jure ducatum Ju- 791 liacensis & Montensis, solutione annuorum redditum & censuum ultra XXX annos in moneta currente acceptatâ, non inspicitur valor temporis contractûs *Stat. Jul. cap. 107. in princip.* In Electoratu Coloniensi annui redditus & census præscribuntur XL. annis. *Ordinat. Electorat. Colon. Tit. 10. §. 2.*

*4tum:* In principatu Leo- 792 diensi si debitor decem annis pro quolibet floreno aureo anni redditûs duos florenos solverit, modum & formam solvendi impostrum præscribit, si de origine, & titulo redditûs non constat. *Carolus de Mean in jus Leodiense obs. 219. n. 6. 5tum:*

793 *5tum:* De moribus Agripinensibus contra scrinia locum non habet præscriptio.

## TITULUS VII.

## De donationibus.

794 Secundus modus acquirendi rerum dominia civilis & singularis est donatio, sive actus, quo liberalitatem in alterum acceptantem exercemus. ita Franz. h. ... Est duplex, alia propria, quâ liberalitatem puram in aliud exercemus ... alia impropria, quâ ex alio motivo, quâm exercendæ liberalitatis, quid in aliud conferimus. Ita Laud. Franz. h. Alia adhæc est inter vivos, alia mortis causâ. Donatio inter vivos describitur a Doctribus esse, quæ fit sine mentione, cognitione, aut suspicione mortis, §. 2. Inst. h. ... Donatio mortis causâ dicitur, quæ fit mortis intuitu. §. 1. Inst. h. c. ut si quid humanitùs contigisset donatori, habeat is rem donatam, qui accepit &c.

795 Dubium est autem: ex quo dignosci possit, num donatio facta sit mortis intuitu, num se-

cus? cum non omnis mortis mentio donationem constituat in esse mortis causa. Resp. cum Widmond, ad ff de M. C. D. n. 9. quod si mortis mentio adjecta sit donationis substantiæ, v. g. quia sum moriturus, dono tibi mille, donatio est mortis causâ; Quod si autem mortis mentio adjiciatur tantum donationis executioni, v. g. Titio dono mille Imperiales, post mortem meam solvendos, non est mortis causâ donatio, sed inter vivos. Ratio: quia cum mortalitatis cogitatio specificet donationem, hinc in illius substantiam influere debet, ut eandem in esse mortis causâ constituat.

796

At quares: ad quem effetum juris duæ hæ donationum species constituuntur? Resp. propter varios, nam primò: Donatio inter vivos est actus inter vivos, adeoque sine justa causa revocari nequit. L. fin. C. de revocan. Donati ... at verò donatio mortis causâ, quia, in facto esse saltem, magis ultimis voluntatibus & qui paratur, sola poenitentiâ revocari potest. L. 29. & 30. de M.

C. Donat Brunn. ad L. 29. §  
seq. eod.

797 **Secundò:** Donatio inter vi-  
vos potest etiam esse propria;  
sed mortis causâ donatio sem-  
per impropria est. Ratio: quia  
propria donatio hoc involvit,  
ut mera exerceatur liberalitas,  
& quod donator magis cupiat  
penes alium, quam se rem esse,  
quod donationi inter vivos  
convenire potest, secus ac do-  
natio ni mortis causâ. Hinc

798 **Tertiò:** Donatio mortis cau-  
sâ valet inter conjuges. L. 9. §.  
2. ff. de Don. inter vir & uxor..  
donatio inter vivos propria in-  
ter conjuges celebrata est inva-  
lida. L. 1. ff. eod. Ratio est jux-  
ta Mull. ad Struv. Exercit. 30.  
Th. 29, litt. Y. quia ob illam  
conjux donans non sit paupe-  
rior, cum executio prius fiat  
post mortem, in hac autem a-  
liud apparet.

799 **Quartò:** Donatio inter vi-  
vos, si summam quingento-  
rum solidorum excedat, eger  
insinuatione apud judicem,  
hoc est: declaratione coram  
judice factâ à donatore, se do-  
nare, & petere, ut ad acta re-  
feratur donatio, & desuper in-

strumentum conficiatur. §.

*Aliæ autem Inst. 2. h. t.* Aliud  
est in donatione mortis causâ,  
licet etiam quingentos solidos  
(hoc est: bodie ducatos Un-  
garicos Myns. ad d. §. 2. h.)  
excederet. Arg. d. §. 2. Ra-  
tio est: -tum ne cives se exces-  
sivis donationibus emungant,  
tnm ut fraudibus occurratur.

Dubitabis: qualis sit dona- 800

tio: *Quia sum moriturus, do-*  
*nō Titio omnia mea bona irre-*  
*vocabiliter.* An mortis causâ,  
an inter vivos. Lex 27. ff. de  
M. C. D. negat esse mortis cau-  
sâ donationem, atque ideo non  
valere inter conjuges, nec inde  
deduci posse quartam falcidi-  
am. Verum Lex 35. §. 4. eod.  
statuit: Mortis causâ præmisso  
modo donari posse. Doctores  
communiter concludunt: quod  
ad effectum irrevocabilitatis  
saltem esse donationem inter  
vivos. Bart. ad d. L. 72, Struv.  
Exercit. 40. Th. 26. ibique  
Mull. Harprecht. §. 1. Inst. h.  
n. 3. Alii sustinent, hac clau-  
sulâ non obstante esse adhuc  
mortis causâ donationem. Cur-  
tius Fun. conf. 56. n. 3. Ant. Fa-  
ber

ber de error. pragm. Decad. 45.  
Err. I.

801 Resp. cum Perez. ad Cod. de D. C. M. n. 14. Si hæc donatio facta sit præsenti & acceptanti, erit donatio inter vivos; si autem facta sit absenti coram quinque testibus, maximè in testamento, aut codicillis, erit donatio mortis causâ, saltem quæ habeat vim fideicommissi (prout docet Hartm. Pift. lib. 1. q. 13) adeoque revocabilis. Ratio: quia priori quidem casu donator legem irrevocabilitatis, à donatario acceptatam, donationi posuit; sed posteriori casu in donationem inter vivos non transit. Prout simile est in legato per L. fin. C. de Don. C. M.

802 Sunt itaque requisita mortis causâ donationis sequentia, primò: ut mortis fiat cogitatione, & intuitu. §. 1. Inst. b... imò in dubio his formulis: *Si alius superstes maneat, aut quæ bona reperientur tempore mortis meæ, ea dono Titio &c. Vitria. b n. 32.* per quod diffrerit à donatione inter vivos.

803 Secundò: Ut quinque testes adhibeantur. L. fi. cod. de Don. C.

M. quod commune habet cum ultimis voluntatibus. Struv. Exerc. 40 th. 25. cùm ad donationem inter vivos duo testes sufficiant.

Tertiò: Requirunt Doctores, ut à præsente in presentem & acceptantem celebretur. Per L. 10. ff. de Don. quod communè est donationi inter vivos. d. L. 10. ibique Brunn.

Tres in L. 2. de M. C. Donat. proponuntur casus, quibus M. C. donatio celebrari potest. Primus: *Cum quis nullo præsentis periculi metu conterritus, sed solâ mortalitatis cogitatione donat...* Secundus: *Cum quis imminentे periculo commotus ita donat, ut statim fiat accipiens...* Tertius: *Si quis periculo motus non sic dat, ut statim faciat accipientis, sed tunc demum cum mors fuerit insecura.* Videatur Brunn. ad cit. Legem. Ex quibus sequuntur sequentes effectus.

Primus: Si donationem M. C. statim insecuratur rei traditio, dominium quidem transit, sed revocari potest periculo cœlante. L. 29. ff. de M. C. Don. ibique Brunn.

807 2dus: Si res donata donationis tempore non statim tradatur, post mortem donatoris dominium ejus irrevocabile transi in donatarium ipso jure. Ratio: quia eo casu donatio morte confirmatur. §. 1. Inst. h. Simile est in legato. §. 2. Inst. de legat. inf.

808 Donatio inter vivos (secus ac donatio M. C.) non est revocabilis, nisi ob causam, nimirum I. Ingratitudinem. L. fin. C. de revocan. Donat. v. g. quod donatarius graves donatori intulisset injurias, aut jaeturam bonis ejus ingessisset &c.

809 Dubium autem est: an quoque ob causas majores & aequales donatio revocari possit? quod videtur negandum, cum ob textus in L. fin. C. de revoc. Donat. verba: Ex his tantummodo causis &c tum ex ratione, quia odiosa non sunt extendenda. At tamen cum Perez. ad C. b. t. nec non Lauterb. in Colleg. pract. de Donat. Th. 49. Vitria b. n. 18. affirmavam ruer. Ratio: quia ubi de mente legislatoris certi sumus, ut in hypothesi, ibi verborum

cortex non est curandus, vel dic, quod particula: tantummodo: exclusiva sic causarum minorum.

Ad rationem obmotam respondere: revocationem non esse odiosam, sed maximè favorablem, eò quod æquitati conveniat ne sit cuiquam licentia, & alienas res capere, & frugitatem irridere donatoris, & ipsum iterum donatorem suaque res perdere. Dicit. L. fin. C. de revocand. Donatio. Lauterb. l. c. th. 49.

Secundò: Revocatur donatio inter vivos ob liberorum supernascentiam, non tantum si patronus liberto donaverit, sed etiam si alius quisunque aut omnia sua bona, aut magnam eorum partem alteri donasset. Ratio est: quia licet L. 8. C. de revocand. Donat. loquatur de donatione à patrono facta liberto, attamen, quia ratio est generalis per L. 30. C. de fideicom. videlicet: favor liberorum, & præsumptio paternæ pietatis, hinc communis sententia invaluit. Brunn. ad cit. Leg. Cod. Lauterb. ad ff. de Donat. th. 53. Struv. Exerc.

40 th. 16. ibique Mull. lit. G. Ratio, quia leges Codicis com-  
muniter sunt rescripta, quæ  
magis ex mente, quam verbo-  
rum cortice sunt interpre-  
tanda.

## COROLLARIA.

## De donationibus.

812 Primum: Donatio inter vi-  
vos, si summa quingentorum  
ducatorum in auro excedat, ad-  
huc hodie insinuatione indi-  
get; Ratio: quia quæ olim  
suberat ratio, nimisrum ne ho-  
mines se excessivis donationi-  
bus emungant, adhuc hodie  
subest. *Carpz. p. 2. const. 12. Definit 12.* ibique *Esbach.* nisi  
quod hic per solidum intelligat  
florenum Rhenensem.

813 Secundum: In Ducatibus  
Juliae & Montium ad donatio-  
nem rei immobilis requiritur  
evacuatio judicialis, facienda  
intra annum, & diem; hoc  
est: judicialis traditio rei do-  
natae infra tempus mox expre-  
sum, adeo, ut nisi prædicta  
evacuatio secura sit, donatio,  
licet ob causam facta, sit nulla,  
prout partim exprimit *Ordin.*

*Juliac. cap. 102. §. 1.* partim  
fustinet *Voets in his t. Jur. Jul.*  
*n. 115.*

3tium: Quod licet ex sen-  
tentia *Vinnii ad §. 2. h. n. 2.* do-  
natio concepta per verba de  
præsenti pactum sit legit-  
imum, fecus autem concepta  
per verba de futuro; attamen  
cum attestante *Coccejo in jur.*  
*controv de Donat. q. 1. Imp.*  
etiam ex hoc pacto actionem  
dederit, ex utraque hodie actio  
conflurget, maximè cum ver-  
ba: *volo tibi donare*, obligatio-  
nem de præsenti pariant. Ita  
*lud. Goegejus.*

4tum: Jure Electoratus Co-  
loniensis conjuges sibi invicem  
bona sua relinquere possunt.  
*Ordinat. Elect. Col. Tit. 8. §. 2.*

5tum: In Ducatibus Juliae, 816  
& Montium conjuges stante  
matrimonio, bona parentalia  
jure hereditario devoluta, sibi  
donare possunt. *Ordin. Juliac.* \* non  
*cap. 102.*

6tum: In his ducatibus do-  
natio judicialiter facta, subse-  
cuta traditione, valida est, li-  
cet donator annum & diem  
non supervixerit *Melchior*  
*Voets in his t. Jur. Jul. n. 181.*

7mum:

§18 7mum: Consuetudine principatus Leodiensis vir & uxor sibi invicem donare, & legare possunt bona, sive in matrimonium illata, sive successione aut aliter quæsita. *Carolus de Mean ius Leod. obs. 85. n. 1.*

§19 8vum: In Marchia Brandenburgensi donationes quartæ partis omnium mo- & immobilium à conjugibus fieri possunt, si liberos non habeant. *Joachimus Scheplitz in consuetud. Brandenb. p. 3. Tit. 2. §. 6. n. 1.*

§20 9num: Moribus Agrippinensium donationes conjugum, etiam inter vivos, valent.

## TITULUS VIII.

*Quibus alienare licet, vel non.*

§21 Dominii acquisiti effectus sunt: *Primò:* quod dominus rem à quoconque possessore possit vindicare, seu repetrere, & hic effectus semper illius est concomitans. *2dò:* quod dominus super res sua proprio nomine possit disponere, ac verò cum hic effectus quandoque

cesset, quandoque etiam dere disponendi facultas competit non domino, hinc sequentes statuo regulas.

Regula 1. Quandoque do minus rei illam alienare nequit. Ratio est: quia quandoque legis prohibitio, aliquando etiam hominis conventio, alienationem impedit, cum non tantum homo, sed etiam lex hanc disponendi, ex dominio profluentem, potestatem possit vinculare, aut planè impedire. Unde

Sequitur 1. Quod, licet maritus dominium civile rei dotalis habeat, attamen immobilem, inestimatò, aut etiam æstimatò (at tantum taxationis, secus est, si venditionis gratiâ) in dotem datam alienare nequit. *pr. Inst. b.* quia publicè interest, dotes fœminis conservari.

Sequitur 2. Tametsi pupillos dominium habeat rerum suarum, attamen illas sine tutoris autoritate alienare nequit. Ratio constat ex dictis de *Tutelis* *Quod adeò verum est,* ut nequidem pecuniam alteri debi-

debitam absque hac authorita-  
te solvere possit. s. 2. *Inst. h.*

825 Regula 2. Quandoque, qui  
dominus non est, rei alienandæ  
potestate fruitur. Ratio est:  
quia sicuti lex prohibere po-  
test domino, ne hic & nunc  
rem suam alienet, ita etiam non  
domino rei non suæ alienandæ  
facultatem potest impetrari.

Ex quo

826 Conclades: Crediterem,  
licet non sit pignoris dominus,  
posse quandoque pignus alien-  
are. §. 1. *Inst. h.* Ratio: quia,  
nisi hanc facultatem lex con-  
cederet creditori, eidem suffi-  
cienter cautum non foret,  
quod fini intrinseco pignoris  
repugnaret.

## COROLLARIA.

*De his, quibus alienare licet,  
vel non.*

827 Primum: Sequelam N. 832.  
de jure Romano positam ces-  
fare ibi, ubi inter conjuges ob-  
tinet bonorum communio,  
nam eo casu maritus non tan-  
tum dimidiā dotem, verūm  
etiam medietatem omnium bo-

norum sinè uxoris consensu a-  
lienare potest. *Heeser de bono.*

*commun.* p. 1. loc. 7.n.1. § seq.

828 2dum: Ad alienationem

pignoris requiruntur de jure  
Romano sequentes solennita-  
tes: primò: *Ut alienatio fiat*  
*debito tempore*, v. g. post mo-  
ram à debitore, vel ab ho-  
mine vel à die interpellato,  
commissam. Secundò: *Ut*

*flat bona fide*, v. g. ut pignus  
non vendatur viliore pretio.

Tertio: *Ut debitori fiat trina*  
*demuniciatio*; casu quo conven-  
tum foret, ne pignus vendere  
liceat. L. 4. ff. *de pignorat. act.*  
Franz. h. n. 7. Quartò: *Ut*  
*exinde exspectetur biennium.* L.  
3. *dominii C. de Jure impet.*

3tum: Hodie primum &

2dum requisitum adhuc est  
necessarium. *Strick. in U. M.*  
*de distract. pign.* §. 6. § 7. quan-  
tum autem ad 3tum, unicam  
denuntiationem sufficere tra-  
dit laud. *Strick. loc. cit.* §. 7. nec  
integrum biennium exspectan-  
dum esse sustinet.

4tum: In Electoratu Co-  
loniensi conjux neque bona il-  
lata, neque acquisita sinè con-  
sensu conjugis alienare potest.

*Ordinat. Elect. Colon. Tit. n.*

§. 2.

§31 *5tum:* Maritus Juliacensis & Montensis bona dotalia sive consensu uxoris, & absque urgente necessitate distrahere nequit. *Ordinat. Julian. cap. 94. in f.*

§32 *6tum:* Vir juxta Leodien-sium mores dominium bonorum mulieris statim acquirit, celebrato & consummato matrimonio, & de iis disponendi facultatem inter vivos habet, cetera hujus consensum. *Carolus de Mean in jus Leodiensi. observ. 25. n. 1.*

§33 *7tum:* Jure Marchiae Brandenburgensis matrimonium querit ultimè superstiti dimidiā bonorum tam immo-bilium, licet is nihil intulerit. *Joachim Schepelitz in con-suet. Brandenb. p. 3. Tit. 2.*

§. 1.

§34 *8tum:* Vir in Urbe Agrip-pinen-si querit dominium im-mobilium suorum, uxori, & uxori marito per scriniale communicationem, & mo-bilium per illationem in matrimoniū. *Stat. Civit. Colon. p. I. art. 19. § II.*

9num: In Electoratu Tre-virensi maritus de mobilibus

disponit, & acquifita sive con-fensu uxoris in catu necessita-tis, aut utilitatis validè alienat. *Statut. Trevir. Tit. 6. §. 31.*

835

## TITULUS IX.

*Per quas personas cuique acquiritur.*

Dominium non tantum per 836 nosmetiplos nobis acquirere possumus, verum etiam per alios, sive sint in potestate no-stra, sive extra illam; qui in potestate nostra constituti nobis acquirunt, sunt aut filii, aut servi; qui autem existentes extra potestatem nobis rerum dominia acquirunt, sunt pro-curatores, de quo sint sequen-tes regulæ.

Prima: Quidquid filius. ra-tione peculii protectitii acqui-rit, patri etiam ignorantī, sta-tim acquirit. *L. 79 ff. de A vel A Hæred.* Ratio: quia cum peculium protectitum ex re patris, aut occasione ejus ad filiū proficiuntur, æquum est,

ut

837

ut ad patrem revertatur. Unde tem autem sibi. L. 6. C. de boni.

§38 Infertur 1. Quod filius rem donatam accipiens ab eo, qui patri donatus fuisset, non sibi, sed patri acquirat. *Vitriar. b. n. 5.* Ratio: quia talis res patris intuitu donata est, & hinc juris interpretatione ex re patris profecta videtur. L. 5. §. 2. ff. *de jur. dot.*

§39 Infertur 2. Quod legatum filio, relictum, si in patria potestate manserit, non filio, sed patri acquiratur. L. 42. ff. *de condit.* Et demonstrat. quia simile legatum patris intuitu relictum videtur. *Laud. Viria. b. n. 6.*

§40 Infertur 3. Donalustrica, à patrinis infantibus offerri solita, à particulari consuetudine præscindendo, peculio proficitio annumerari, præsertim, si de patrino pater bene meritus, & donum tale sit, quod quis infanti non donasset. *Lauter. ad. ff. de pecul. §. 32.* Ratio: quia eo casu intuitu patris donatio celebrata intelligitur.

§41 Regula 2. Peculium adventitium regulare, seu ordinarium filius usufructu tenus patri acquirit, quoad proprietati-

quæ lib. Ratio stat in jure patriæ potestatis, olim quidem ad sola filii, bona materna restriktio; hodie autem si mox allegatae L. 6. ad alii. Si iam adventitia extenso. *Brunnen. ad cit. L. 6.* Ex quibus

Sequitur 1. Lucra sponsalicia, & nuptialia, hereditaria, legata, adhæc aliunde (etiam industriæ filii.) quam ex re patris, aut militia, vel quasi quæsita patri usufructu tenus quæruntur. *Vitriar. b. n. 10.* Ratio: quia omnia illa ad peculum adventitium ordinarium pertinent.

Sequitur 2. Dona lustrica consueta, alias infantibus dari solita, aut si nullus adsit patrem honorandi animus, aut si alias filii intuitu reperirentur obligata, ad patrem pertinent quoad usumfructum. *Vitria. b. n. 11.* qui eo casu filii intuitu obligata intelliguntur & sunt.

Dixi: *Peculium adventitium ordinarium proprietate tenus ad filium pertinere:* nam extraordinarium, seu irregulare tam quoad proprietatem, quam quoad usum, ad filium per-

tinet. Nov. 117. cap. I. §. I.  
Franz. b. n. 6. Hinc

845 Deducitur 1. Ad patrem non pertinere ea, quæ filiof. eâ conditione sunt donata, ne pater usumf. habeat. d. Nov. 117. cap. I. Vitria. b. n. 12. nisi legitima patri debita per hoc læderetur, quæ gravari nequit juxta alibi dicenda.

846 Deducitur 2. Id, quod ad filiumf. ex successione fraterna, ad quam unâ cum patre admis- sus est, pervenit, patri non acquiritur quoad usumf. Auth. item C. de bon. quæ liber. sed fi- liof. pleno jure cedit.

847 Deducitur 3. Hæreditas, aut res singularis, licet patris intuitu ad filiumt. perveniens, patre invito à filio acceptata, non illi; sed huic acquiritur. L. fin. pr. C. de bon. quæ lib. quia eo casu pater non videtur usufructu dignus esse.

848 Deducitur 4. Res à Princi- pe aut Augusta filiof. donata non patri, sed filio pleno jure quæritur. L. 7. C. de bon. quæ lib. Ratio: quia donationi à Prin- cipe celebrata, aliquid præci- pui est attribuendum. Brunn. ad all. L. 7.

Regula 3. Peculium castren- se, aut quasi castrense filiusf. pleno jure sibi acquirit. Prioris decisio habetur in L. 4. C. de Castrenf. pecul. Posterioris deci- ditur per L. 6. C. de bon. quæ lib. Ratio consistit in speciali favo- re militiæ & quasi militiæ. Ex quibus

Colligitur 1. Acquisita æquè 850 in vera militia, ac ejus intuitu, v. g. hæreditas à commilitone delata, filiof. pleno jure acqui- runtur. Lauterb. ad ff. de pecul. th. 8. quia hæc omnia ad pecu- lium castrense pertinent.

Colligitur 2. Quidquid fili- usf. doctor Juris, aut Medici- nae, nec non advocatus, harum dignitatum intuitu, acquirit, non patri, sed filiof. pleno jure cedit. Lauterb. l. cit. th. 15.

Regula 4. Procurator nobis 852 etiam ignorantibus possessio- nem, & deinde dominium, sup- positis supponendis, acquirit. §. 5. Inst. b. quia hæc in actibus naturalibus consistunt. Franz. b. n. II.



COM:

**COMPENDIUM  
INSTITUTIONUM  
D. JUSTINIANI  
IMPERATORIS**  
P A R S IV.  
**M E M B R U M I.**

*De modo acquirendi jus in re universalis per  
testamentariam successionem.*

**L I B E R II.**

**T I T U L U S X.**

*De testamentis ordinandis.*

- 853 Sequuntur modi acquirendi rerum dominia universales, v.g. hæreditatum susceptiones, quarum aliæ fiunt per testamenta, aliæ ab intestato, aliæ hodie ex pacto. De modo hæreditatem testamento delatam acquirendi hic est agendum & hinc de testamentis, quid sint? quotuplicia sint? quæ eorum requisita? & quæ contraria?
- 854 Testamentum est iusta ve-
- luntatis nostræ sententia, de eo quod quis post mortem suam fieri vult. L. 1. ff. qui testam. fac. poss. sive, est ultimæ voluntatis nostræ (non alienæ) iusta (hoc est: legibus conformis) sententia, seu decretum animi exteriùs prolatum, de eo, quod quis post mortem suam fieri vult. Per quæ testamentum à contractibus differt, cùm hi

Y

duo-

duorum consensum exigant.  
Franz. b. §. 4.

855. *Testamenta Doctores nostri statuunt esse juris Gentium quoad originem, quoad formam autem juris positivi, ut pote à quo & eisdem superaddita est certa forma; at intelligendi sunt de jure Gentium improprio, & de hoc non ita universaliter: nam teste Tacit. de M. G. cap. 20. §. 6. Testamenta in Germania nulla ab initio fuerunt, & usque ad saeculum*

*iustum rarius consueverunt usurpari. Manz. in tr. de testam. valid. & invalid. tit. I. n. 10.*

856. *Testamentum de jure Hodierno duplex est, Scriptum & Nuncupativum. Const. Maxim. de anno 1512. Rub. Von Testamenten in pr.... Scriptum est, quando testator ultimam suam voluntatem scripturā exprimit, eandemque postea testibus offert corroborandam. Nuncupativum est, quando testator coram testibus vivā voce suam ultimam voluntatem declarat.*

857. *Nuncupativum aliud est mere nuncupativum, aliud mixtim nuncupativum; illud mox*

est descriptum; Hoc autem est, quando testator petit voluntatem suam, coram testibus prolatam, in scripturam redigi, & ad hoc R. L. de anno 1512. §. 5. requirit praelectionem, testatori faciendam. Quam sententiam in praxi obtinere testatur Brunhem. ad L. 21. ff. qui testam. fac. poss. & firmat Ord. Col. tit. I. §. 6. Item consuetudo Marchiae Brandenburg. Joachim Scheplitz p. 3, Tit. 4. §. 1. n. 17.

Præterea testamentum aliud 858 est solenne, aliud minus solenne; Illud est, quod formam, hoc est, omnes solennitates à jure prescriptas habet. Testamentum minus solenne est, cui deest forma & aliquid de solennitatibus, ut tamen propter specialem rationem valeat, v. g. factum ad dias causas, inter liberos &c. de quibus Tit. seq.

Denique testamentum aliud 859 est privatum, aliud publicum. Publicum habet in illud, quod est: Principi oblatum, & in tale, quod apud acta factum est. Testamentum Principi oblatum est, quando testator ultimam suam voluntatem Principi offert,

*offert, ut ejus auctoritate valeat. Testamentum apud acta factum, seu judiciale est, quo testator coram actis judicis suam ultimam voluntatem declarat, & offert ad hoc, ut auctorum auctoritate subsistat. Videatur Franz. b. n. 25. & seqq.*

360 *Forma testamenti privati alia est communis, v. g. hæreditis institutio, de qua infrà. Alia propria, certorum testatorum generi, v. g. solenni, hinc in solenni necessariæ sunt solennitates à jure præscriptæ, quales sunt priuæ, ut supremi testes adhibeantur. L. 21. C. de Testam. quos inter etiam notariis numeratur, prout hodie probat R. I. de anno 1512. Tit. Von Testamenten. ic. 2. §. 2. Ratio: quia cum successio ex testamento res sit magni præjudicii, lex voluit actum solen niorem. Manz. b. s. 3. n. 7.*

361 *2dò: Testes debent esse specialiter rogati, licet etiam calu adsint, modò rogatio testamentum præcedat. d. L. 21. C. de Testam. Concordat R. I. de anno 1512. t. 2. §. 3. Quæ tam non præsumitur, sed ejusdem à notario fieri debet men-*

*tio. Ratio: ut eviteretur omnis fraus & subornatio. Idem Manz. b. n. 7.*

*3tò: Ut testes praesentes sint toti actui testandi & corpore & animo, & testatorem audiunt & videant. L. 9. C. de Testam. Ratio: ut fraus & delus evitentur, quibus testamenta magis sunt obnoxia, ac contractus. Brunn. ad cit. L. 9.*

*4tò: Ut testamentum testes subscribant. L. fin. C. de Testam. & quidem unusquisque pro se, non verò aliis pro alio. d. L. fin. Intellige ubi tot literati testes reperiuntur, alias secus foret. Brunnen. ad cit. L. 9. ubi sustinet, quod si duo aut tres literati in loco conditi testamenti reperirentur, hi aliorum loco subscribere tenentur.*

*5tò: Ut testes signa sua apponant. L. 21. C. de Testam. & hinc licet testes testamentum subscripterint, si tamen sigilla sua non apposuerint, testamentum habetur pro infecto. d. L. 21. C. de Testam. Ratio habetur in Leonis Nov. 42. ut scriptoris fidem tribuant, sigillum enim fidem & firmitatem*

160

*Instit. Lib. 2. Tit. 10.*

tem literis præbet. *Manz. in tr. de Testam. val. & inval. tit. 4. n. 137.*

865 6to: Ut testes adhibeantur unico contextu, d. L. 21. C. de Testam. consonat R. I. de anno 1512. tit. 2. §. Die Form. ic. Nisi casus necessitatis eveniret, aut actus extraneus, ad testamentum pertinens, gestus esset. *R. I. de Anno 1512. tit. 2. §. 7.*  
Ratio: quia solennium ea est natura, ut regulariter dividi nequeant. *L. continuus 137. in pr. ff. de V. O.*

866 7mo: Ut testator ipse testamentum subscribat, aut si scribere nesciat, octavum testem adhibeat, qui nomine ejus subscribat. *L. 21. C. de Testam.* Ratio: quia alias facile fraus intercurrere posset, quod lex non præsumit, si octavus testis ad subscribendum adhibetur, cum ad impossibile nemo teneatur. *Brunnem. ad cit. L. 21.*

867 Notandum hic: ad testamentum, merè nuncupatum, solenne, omnes hactenus enumeratae solennitates sunt necessariae, præter subscriptiōnem & subsignationem. Ratio:

quia subsignatio & subscriptio indoli testamenti merè nuncupativi repugnant, utl patet consideranti.

## COROLLARIA

*De testamentorum solenitatis in his partibus requisitis.*

Primum: De jure Canonic. in terris & judiciis Ecclesiæ hic tantum sequendo, ad testamentum condendum sufficiunt duo aut tres testes una cum parocho loci. *Cap. 10. & 11. & de Testam.* Ratio: quia jus Canonicum magis accedere voluit ad juris Gentium simplicitatem, noluit tamen nudis illius Juris solennitatibus acquiescere, & hinc insuper parochi præsentiam requirit.

Secundum: In Eleitoratu Colonensi testamentum fit coram notario, aut jurato judicii scriba, aut parocho loci, & insuper duobus scabinis in civitatibus, extra has autem coram aliis duobus honestis viris, ad hoc rogatis, ita tamen

ut hi testamentum in scriptis conditum subscriptant. *Ord. Elect. Col. tit. I. §. 2.* at in nuncupativo sufficit coram praetatis personis hæredem nuncupare. *Ord. d. tit. I. §. 4.*

<sup>870</sup> *Exceptio est in testamento tempore pestis condito. Ord. t. I. §. 2.* aut si testator nec notarium, nec scribam, nec parochum habere posset, aut eosdem mallet non adhibere; his enim casibus potest loco notarii, scribæ, aut parochi alias duos testes, & ita quatuor adhibere. *Ord. d. Tit. I. §. 5.*

<sup>871</sup> *Dubium autem:* an testamentum coram vicario, capellano, ordinario confessario, aut sacerdote à parocho substituto, factum teneat? R. Hoc de vicario perpetuo, capellano, aut aliquo quocunque habente curam subsidiariam affirmo *Arg. eorum quæ tradit Manz. in tract. de Testam. val. & inval. tit. 4. n. 64.* ubi refert *Boer. Decis. 228. n. 11.* substantinem: quod tale testamentum de jure Canonico valeat. Ratio est: quod sicut de jure Canonico præsentia parochi non requiritur ad substantiam

testamenti; sed tantum ad probationem, ita nec vi *Col. Ord. Arg. §. 5. tit. I.* & hinc potest suppleri per æquipollentem vicarium perpetuum.

Dixi: *De vicario perpetuo, 871 capellano, aut alio quocunque habente curam subsidiariam:* nam de aliis id negandum puto. Ratio est: quia sicut ex mente *Boer. l c* testamentum de jure Canonico coram personis, parocho non æquivalentibus, factum non tenet, ed quod Decretales præscribant certam testandi formam, saltem probatoriam, neque in correctoriis fieri possit extensio, ita etiam puto de statuto esse ratiocinandum

Tertium: In *Electoratu Trevirensi* testamentum nuncupativum fit coram duabus personis judicii, & scriba, modo in scripturam redactum & testatori prælectum sit. *Statut. Trev. Tit. I. §. 6.* Similiter fit coram graduato JCto aut immatriculato notario, aut scriba judicii, coram parocho, aut ejus substituto, & duobus scabinis vel judiciorum, vel synodalibus, modo actus testamento

162.

*Instit. Lib. 2. Tit. 10.*

ad & subscribatur Stat. Trev.  
Tit. 1. s. 10.

874 Quartum: In principatu  
Leodiensi testamentum fa-

ctum coram notario, parocho  
aut vicario & duobus testibus  
fide dignis subsistit. *Coutumes*  
*du pays de Liege Chap. 10. n. 13.*  
etiam foemini. *Carolus de Me-*  
*an in jus Leot. obs. 93. n. 1.* quod  
ampliat *obs. 91. p. n. 4.* ut etiam  
valeat in vim testamenti scripti,  
licet ipse contrarium sustineat  
de jure Canonico. Ratio est:  
quia in reformatione Principis  
(Græsbeck art. 1. cap. 7. notarii,  
curati, & vicarii, ad excipien-  
dum & scribendum testamentum  
æquiparantur, & per con-  
junctionem: Et connectun-  
tur.

875 Quintum: In Ducatis Juliæ  
& Montium testamentum co-  
ram notario, aut pastore, &  
quatuor testibus, super bonis  
saltē mobilibus eructum, te-  
net. *Ord. Jul. cap. 69. Melchior*  
*Voets in hist. Jur. Jul. n. 122.*  
imò conditum coram actis pu-  
blicis sine testibus. Ut testatur  
*Paulus Voet de Statut. Sect. 7.*  
*cap. 2. n. 14.* Exceptio est pro  
tempore pestis, aut alterius

contagionis, quo Ordinat. d.  
cap 69. declarat parochum &  
duos testes ad testamentum  
sufficere.

Dixi: super bonis saltē mo- 876  
bilibus: Nam de immobilibus  
hæreditariis bonis, in ducati-  
bus Juliæ & Montium sitis, te-  
stamentum factum est ipso ju-  
re nullum. *Ord. Jul. d. cap. 69.*  
*Voets cit. n. 119.*

Sextum: Testamentum 877  
Marchiæ Brandenburgensis  
nuncupativum fit coram sep-  
tem testibus. *Joachim Scheplitz*  
*in consuetudines Brandenb. p.*  
*3. Tit. 4. §. 2. n. 18.*

Septimum: Ad testamen- 878  
tum in Urbe Coloniensi de  
bonis scrinialibus, hic intra ve-  
teres muros, nec non comita-  
tum inferioris Regionis (*Nie-  
derich nostratis*) & comita-  
tum Aquilinum (*Airsbach*  
*vernaculâ*) sitis, erigendum,  
requiritur imò: ut præter no-  
tarium & duos testes adhi-  
beantur duo scabini alti judi-  
cii, qui ultimam voluntatem  
audiant, & sigillent. *Statut.*  
*Civ. p. 1. art. 2.* 2dò: ut tale  
testamentum infra annum &  
diem scabinali scrinio Civitatis  
im-

imponatur sub poena nullitatis. Stat. alleg. art. 2. v. wie die Testamente ic.

879 Dixi: *Dè bonis scribalibus hic saltem intra veteres muros, nec non comitatus inferioris Regionis, & Aquilinum sitis. Testamenta enim de bonis mobilibus, coram notario & duobus testibus facta, sustinentur, neque ad eorum validitatem necessaria est inscrinatio, licet hæc testatori petenti non sit deneganda.* Stat. Civit. Coll. p. I. art. 5.

880 Octavum: *Testamentum de bonis hæreditariis, & redditibus extra veteres muros, nec non comitatus inferioris Regionis & Aquilinum coram duobus scabinis aut officialibus judiciorum reisitæ, & immatriculato notario & duobus rogatis testibus factum subsistit, modò infra annum & diem scrinio judicii imponatur. Edict. summariss. §. 4.*

881 Nonum: *Licet solennitates de jure Civili pertineant ad testamenti substantiam, & hinc non possint per æquipollens suppleri, edquod leges hic complectantur decreta irritan-*

tia. V. L. hac consultissima C. de Testam: attamen solennitates juris Canonici extrinsecæ non ad testamenti substantiam; sed tantum ad ejus probationem requiruntur, adeoque per æquipollens sunt supplebiles. Engel ad jus Canon. de Testament. & ult volunt. n. r. 4. per tot. Ratio: quia Decretales X. & XI. & de Testamentis decretis irritantibus destituantur.

Decimum: *Quod de solennitatibus juris Canonici statutum docui, idem puto esse dicendum de solennitatibus in Electoratu Coloniensi, & principatu Leodiensi requisitis.* Ratio: quia in his statutis decreta irritantia non reperiuntur. Nisi quod Statutum Electoratum *Trevirensis* ~~Coloniense~~ Tit. I. §. 6. ut etiam testamentum nuncupatum in scripturam redigatur, & testatori prælegatur, sub poena nullitatis requirat. Ex quo

Deducitur: Præsentiam parochi tam de jure Canonico, quam Coloniensi & Leodiensi suppleri per alios duos testes; quemadmodum Statut. Elect.

*Col. Tit. I. §. 5.* notanter disponit, ut inde idem de jure Leodiensi per interpretationem doctrinalem dicendum sit; non potest tamen nec de Canonum jure, neque Coloniensi, neque Leodiensi parochi præsentia per alium sacerdotem suppleri, eò quod hujus præsentia non æquivaleat præsentia parochi, cum hic solus, quæ testis qualificatus, ad prædictum effectum auctoratus videatur.

*Undecimum: Notarius, aut parochus* <sup>§. 884</sup> *præter quatuor testes, quos de Statuto Juliacæ & Montium ad testamentum, super mobilibus falcem condendum, requiri dixi, non ad substantiam, sed tantum ad probationem requiritur, quia Statutum Juliacense cap. 69. nullo decreto irritante est munitum, & hinc, quemadmodum vi Statuti Electoratus Colonensis præsentia parochi, aut notarii per duos testes suppleri potest, sic etiam in Ducatibus Juliacæ & Montium ob rationis identitatem.*

*885 Duodecimum: At in urbe Coloniensi super scrinialibus,*

intrâ antiquos muros, nec non comitatus & Aquilinum, & inferioris Regionis, sitis, faciendum requisita præsentia duorum scabinorum alti judicii per nullum æquipollens potest suppleri. Ratio: quia statutum Colonense testamenta hæc alio modo facta irrita declarat, & nulla, utpote munitione decreto irritante.

Decimum tertium: In Ele<sup>886</sup> toratu Trevirensi scabini non requiruntur ad testamenti substantiam, utpote per quatuor testes, de jure habiles, supplebiles. *Stat. Trevir. Tit. I. §. 12.*

## TITULUS XI.

### *De testamento militari.*

Traet887at hæc Imperator noster de testamento minùs solenni, utpote in quo vel omnes vel quædam solennitates ex speciali privilegio sunt remissæ. Sunt autem species testamenti minùs solennis *primo: Militare. 2dō: Rustici, aut ruri conditum. 3tō: Parentum inter liberos. 4tō: Tem-*

Tempore pestis aut contagionis erectum. 5tò : Testamentum ad pias causas. Et 6tò : Juxta Doctores testamentum in itinere, à moribundo factum

888 Testamentum militare est testamentum, quod miles in expeditione militari occupatus jure militari condit, & duplex est, scriptum, quo miles in expeditione occupatus voluntatem suam scripturā, etiam quandoque sinè ullis testibus, quolibet modo declarat, ita ut clypeus vel pulvis sit charta, & sanguis atramentum L. 15. C. b. t. Brunn. ad cit. L. 15.

889 Aliud est nuncupativum, quo miles suam ultimam voluntatem sinè scriptura coram duobus ad minimum testibus, licet non rogatis, declarat. Mull. ad Scruv. Exercit. 34 tb. 2. lit. A. Ratio stat in armorum & expeditio- nis conditione, ob quam præsumuntur de solennitatibus non posse esse solliciti. Nec obstat pr. Inst. h. quia imperitia ibi adducta non est ratio adæqua. Ex quibus

890 Colliges 1. Milites circumforaneos, vagos, pagatim gras-

fantes, togatos, tempore conditi testamenti nondum in album militum lectos, nec domino bellum gerenti sacramento obstrictos, hoc privilegio non gaudere. Author app ad Manz. tr. de Testam. val. & inval. q. I. n. 4. & seqq. Ratio est : quia hi aut privilegio militari sunt indigni, aut eodem nondum uti possunt.

Colliges 2. Militem, in expeditione constitutum, non tantum esse illum, qui est ad confligendum paratus, aut in ipso actuali prælio; verum etiam, qui fugientem hostem persequitur, aut in prostrati fines irrumpt, vel in fossatis est, vel in extremis terminis excubias agit. Laud. Author l. c. n. 13. adeò ut etiam miles, propriam patriam belli occasione transiens, testamentum sinè solennitatibus facere possit, modò, ut supponitur, tantum temporis non superfluerit, ut solennitates adhiberentur, prout judicatum refert Strick. de caut. Test. cap. 9 n. 24.

Colliges 3. Militem, in hibernis existentem, præsidiorum, stationarium, & ab hosti- bus

bus captum, regulariter non gaudere hocce testandi privilegio. Lauterb. ad ff. de Testam. milit. tb 7. quia in his non militat ratio, nimis armorum & expeditionis conditio, ob quam hoc testandi privilegium lex concedit.

**393** Colliges 4. Ad testamentum, militare in scriptis celebratum, nulli omnino testes sunt necessarii. Strick. d. cap. 9. § 12. At nec ad nuncupativi substantiam ulli requiruntur, ad probationem tamen saltem duo exiguntur. L. 12. ff. de testib.

**394** Colliges 5. Ad testamentum militare nuncupativum non esse necessarium, ut testes rogentur, quia rogatio testium est solennitas civilis, quae in hoc remissa est. pr. Inst. b.

## COROLLARIA.

### De testamento militari.

**395** Primum: Hodie milites in actuali conflietu existentes, si in scriptis testari elegerint, etiam sine ulla testibus testari possunt. R. I. de anno 1512. §. 2. Ratio: quia in his demun-

vera privilegii ratio & mens subinrat.

**396** secundum: Milites in castris degentes sive in scriptis sive nuncupativè cupiant testari, tenentur adhibere duos ad minimum testes. R. I. c. Ratio: quia in castris existentibus, ubi nempe periculum ita metuendum non est, ratio privilegii suffragari non videretur.

tertium: Milites denique nec in conflietu, nec in castris agentes, omnes omnino juris communis, aut statuti solennitates adhibere tenentur R. Imp. loc. cit. quia pro his nulla militat ratio, ob quam eisdem privilegiorum impetriri debeamus, vid. Graff. in Collat. Juris Rom. cum Recess. Imp. sect. 4. §. 2.

## APPENDIX I.

### De testamento rustici, aut ruri condito.

Testamentum rustici est testamentum minus solenne, quo rustici ex constitutione Imperat. Justin. in L. ult. C. de Testam. de omni eo, quod post mortem fieri volunt, coram quinque testibus,

si

COROL

De testamento

rustici H

per regulare

*Si plures non adsint, & sine subscriptione disponere possunt.*  
Strick. in Disp. de Testam. rust. cap. 1. Ex quibus.

399 Deduces 1. Ad hoc testamentum duo requiri primò locum, nimirum pagum. 2dō: defectum plurium testium. Hinc rusticus in civitate, aut suburbio testamentum coram quinque testibus jure non facit. Strick. de Caut. testam. cap. 13. §. 1. 2. & 3. Ratio: quia in hoc casu nec locus, nec testium inopia solennitatum remissionem admittit. Concordat R. Imp. de anno 1512. §. 2.

900 Deduces 2. Ad testamentum rustici scriptum non requiri, ut testes subscribant, sed quod scribendi signari sint. Strick. loc. cit. §. 10. Necesse tamen est, ut testes rustici noscant, quem sibi testator velit esse hæredem. L. ult. C. de Testam. Ratio: ne fraus interveniat.

### COROLLARIA.

#### *De testamentis rusticorum.*

901 Primum: Hodie, cum in pagis regulariter non deficiat

numerus testium, hinc ubi in civitate alias jure communi testandum foret, numerus testium circa juris rationem in pago remitteretur. Ratio: quia cur remissæ sint solennitates numeri septenarii testium, est hominum defectus.

2dum: Cum Statuta no-  
strarum patriarcharum minores, ac  
jus commune, requirant solen-  
nitates ad testamentum, absque  
distinctione inter testamentum  
rustici, & non rustici, hinc  
salvo seniori sentio ad rusticorum  
etiam testamenta solenni-  
tates statutarias esse necessarias.

### APPENDIX II.

#### *De testamento parentum inter liberos.*

Testamentum parentum in-  
ter liberos est *testamentum mi-*  
*nus solenne*, à parentibus sine  
omni solennitate ex privilegio in-  
ter liberos factum. Nov. 107.  
Cap. 1. Dixi: à parentibus:  
unde quoque mater hoc jure  
testari potest, cum ipsa etiam  
parentis nomine veniat, quod

hodie observari testatur *Carpz.*  
p. 3. conf. 4. def. 15.

904 Solemnitates ad testamen-  
tum parentum inter liberos re-  
quisitæ sunt primò: ut de vo-  
luntate parentum perfecta  
constet, *Vitria. h. n. 13.* Ratio:  
quia hæc est juris Naturæ so-  
lemnitas, quæ etiam ad testa-  
menta privilegiata est necessa-  
ria. 2dò: ut expressa sint libe-  
rorum nomina. *Auth. quod sinè C. de testam. Sirick, de Caut. testam. cap. 10. §. 16...* 3tiò: ut  
voluntas parentum cum die &  
consule ab ipso testatore scrip-  
ta sit, aut subscripta. *d. Auth. quod sinè C. de testam. Rationem dant communiter Doctores, ut voluntatis certitudo habeatur,*  
& si forte plura adsint testa-  
menta, sciri possit, quodnam prius sit, quodnam posterius.  
*Vid. Strick. l.c. §. 14.*

905 Hæc solemnitates testamen-  
to scripto parentum inter libe-  
ros adaptantur; quod si fiat  
per nuncupationem (prout fieri posse sustinet *Strick. l.c. §. 21. inf.*) eò quod præsumendum non sit, Imperatorem *in Nov.* 107. illis solis hoc privilegium voluisse indulgere, qui scribere

possent) duos testes sufficere,  
sustinet *Siruv. Exerc. 32. th. 18.*  
ibique Mull. *Lit. N. post alios allegatos.*

### COROLLARIA.

*De testamentis parentum inter liberos.*

Primum: Testamentum in- 906  
ter liberos valere, licet à paren-  
te subscriptum non sit, modò  
constet propriâ testatoris, aut  
testatrix manu scriptum esse.  
Ratio, quia hoc, & non alio casu  
de voluntate parentis, de qua  
per præmissa liquere debet,  
certi sumus. At in Eleitoratu  
Colonensi cum die & consule  
subscribendum est. *Ord. El. Col. Tit. I. §. 10.* Concordat statu-  
tum Trevirensi *Tit. I. §. 13.*

Secundum: Affinem pater- 907  
no testamento esse inter liberos  
divisionem, circa quam hæc  
statuenda est regula: Qualis-  
cunque patris in dividenda hæ-  
reditate observanda est volun-  
tas, modò pater omnia clarè ex-  
presserit, & divisionem ipse  
scriplerit aut subscripterit. *Au-  
thor Append. ad Manz. tract. de  
testam.*

*testam valid. & invalid. tit. 16. g. 6. post ibid. allegat. ubi autho- ritatibus Lynck. & Brunn. pro- bat, neque appositionem anni & diei, neque subscriptionem parentis, literarum imperiti, esse necessariam,*

*testam. cap. 11. §. 10. Unde ex parte testaturi necessaria est ha- bilitas, de quā tit. seq. & requi- ritur liberorum, & aliorum, (de quibus Tit. 13.) institutio, aut exhæredatio. Ratio: quia hæc ut sint remissa, metus morbi non suadet.*

### APPENDIX III.

#### *De testamento tempore pestis, aut contagionis confecto.*

908 In testamentis tempore pe-  
stis, aut alterius contagionis,  
v. g. febris Petechialis, Dysen-  
teria &c, modò gravis sit, con-  
ditis, quoque aliquid solenni-  
tatis remissum est, nimirum  
quòd non requiratur septem  
testium (qui de jure Romano  
nullib[us] remissi sunt) consocia-  
tio. *L. 8. C. de testam.* hoc est:  
ut necesse non sit, testes invi-  
cem, nec cum testatore esse in  
eodem conclave. Ratio specia-  
litatis stat in metu morbi, &  
hinc, si testes etiam per fene-  
stram testatorem videant, suf-  
ficit.

909 Alia testamentorum requi-  
sita de jure Romano hic non  
sunt remissa, *Strick. de Caut.*

#### COROLLARIA.

#### *De testamento tempore conta- gionis confecto.*

Primum: Hodie de con- 910  
suetudine generali Germaniæ,  
prout testatur *Brunn. ad L. 8. C.*  
*de testam.* ad testamentum, tem-  
pore contagionis factum, duo  
testes sufficiunt; quam con-  
suetudinem probant Statuta  
*Coloniensis & Juliacensis* supe-  
riùs allegata.

2dūm: Quòd, licet de jure 911  
Romano septem testes masculi  
ad hocce testamentum requi-  
rantur, de moribus etiam fœ-  
minæ sufficient, ubi masculi  
haberi nequeunt, quæ senten-  
tia canonizatur à Statuto Tre-  
virensi *Tit. I. §. 16.* & in Came-  
ra Imperiali observatur teste  
*Myns. cent. I. obs. 96.*

912 **3**tium: Privilegium hocce *re omne verbum*; attamen per testandi non tantum procedere, cùm ipse testator contagione laborat, verùm etiam, quando domus testatoris tali est infecta, cùm æqualis in utroque casu sit difficultas habendi septem testes. *Strick. de Caut. Testam. cap. 11. §. 7.*

## APPENDIX IV.

*De testamento ad pias causas.*

913 **D**e jure Canonico, *in cap. 11.*

*¶ de Testam. contento, testamentis ad pias causas solennitates alias præscriptæ sunt remissæ, & hoc Cap. 11. etiam interris Imperii ob piarum causarum favorem viget. Auth. Append. ad Manz tr. de testam. val. Et inval. Tit. 19. n. 3.*

914 **Q**uæres: Quas ergo solennitates testamenta ad pias causas requirant? *Reisp. saltem illas, quæ de jure Naturæ ad actus valorem requiruntur. Reiffenst. ad Decret. de Testam. §. 4. n. 143. Rationem dat Strick. de Caut. Testam. cap. 12. §. 6. quia licet Pontifex in cit. cap. 11. dicat; in ore duorum aut trium sta-*

hoc testes non requisivit ad substantiam testamenti, sed tantum ad probationem, & hinc statuit sufficere, si qualitercumque de voluntate testatoris certò constet. Unde

Sequitur 1. Testamentum 915 ad pias causas propriæ testatoris manu scriptum aut subscriptum subsistere, quia & tunc de voluntate defuncti certi sumus, quando manus ejus negari nequit. *Vid. Reiffenst. l. c. n. 147.*

Sequitur 2. Quod, si aliunde 916 voluntas testatoris non constet, eo demum casu ad testamentum ad pias causas requirantur duo testet, conformiter ad cit. Cap. Relatum 11. *¶ de testam.*

*Ratio: quia unus testis ad probandum nequidem de jure Naturæ sufficit. Laud. Reiffenst. n. 152..*

Sequitur 3. Testamentum, 917 licet ad pias causas, ratione voluntatis imperfectum, v. g. si testator dixerit: se velle Ecclesiastim hæredem scribere &c. jure non tenet. *Ratio: quia voluntas perfecta etiam de jure Naturæ ad testamentum requiriatur,*

cur, in casu substrato autem non est, nisi consensus de futuro. *Reiffenst. n. 168.* post Barbosam in Cap. *Cum tibi 13 de Testam. n. 5. & Surdum Decis. 292. n. 11.*

**n. 18** *Dixi: Ad testamentum ad pias causas requiri solennitates juris Naturæ, cuius dicti veritatem ostendi in aliquibus exemplis; quia autem alii sunt testamentorum defectus, ex jure Naturæ profluentes, de illis in Tit. seq. rectius tractabimus.*

APPENDIX V.

*De testamento in itinere à moribundo confecto.*

**n. 19** *Casus: Titius in itinere conscientus, cum nec civitatem, nec pagum vicimum haberet, subito morbo corripitur, & rogat duos itineris socios, ut ultimelogii sui, quo Mevium instituit heredem, essent testes: queritur, ad hoc testamentum subsistat? pro & contra disputant Doctores, prout videre est apud Srick de Caut. *Testam. cap. 14. per tot. Antiquiores**

*Quibus non est præmissum facere testamentum.*

Nunc recto ordine queritur: **Quinam possint facere testamentum?** ad quod quæsumum hæc ponenda est REGULA: *Omnes testamenta facere possunt, qui specialiter non prohibentur.* Sichard. ad Rub. *Tit. C. qui Testam. fac. poss. num. 2.* Ratio: quia testamenti factio est de genere permisorum, quæ toties concessa sunt, quo-

quoties non inveniuntur prohibita.

**921 Prohibentur autem primi Infantes & Impuberis.** *L. quā aetate 5. ff. qui testam. facere poss.* Ratio: quia saltem quod ad hunc aetum nullum Impuberum (hoc est: masculorum, nondum agentium annum 14um, & femellarum nondum duodennium) est judicium, cum presumantur non posse judicare, cur extraneo potius, quam cognato haereditas sit relinquenda.

**922 Notandum hic 1.** Non requiri, ut excesserit impubes annos impubertatis, sed sufficere, quod compleverit. *d. L. 5. ff. qui testament. fac. poss.* Ratio: quia in favorabilibus ultimis dies cœptus habetur pro completo, jam autem testamenti factio est maximè favorabilis.

**923 Notandum 2.** Sufficere etiam, quod testamentum prius die Calendas Januarii post horam sextam, id est: apud Nos post horam duodecimam, factum sit. *d. L. 5.* Ratio: quia jam complevisse videtur annum decimum quartum, eò

quod in hac favorabili materia protractio temporis sit odiosa.

**Notandum 3.** Valere testamentum natali die anno decimo quarto conditum, non tamen erectum primo die anni decimi quarti, quia Iustus Ulpianus in d. *L. 5.* decidit: testamentum natali die anno decimo quarto; non autem natali die anni decimi quarti factum valere, jam autem natalis anno decimo quarto etiam ultimus dies anni esse potest.

**Prohibentur ad testari Furiosi.** *§. 1. Inst. b.* Ratio: quia testamentum justa est voluntatis nostrae sententia, qualis à furioso, utpote cuius nulla est voluntas, poni nequit. Simile habes in Impubere, in quo sicuti nondum adest judicium, ita illud furiosum reliquit.

Fallit prohibitio, si furiosus eo tempore fecerit testamentum, quo habuit dilucida intervalla, & clare constet furem remisisse; prout decidit Imp. in §. 1. b... Ratio: quod talis eo tempore sanæ mentis reputetur, & hinc locus sit regulæ:

*Quib. non est permis. fac. test.*

173

*gulæ : Cessante legis ratione,  
cessat legis prohibitio*

927 At quæres 1. Quid in hac hypothesi præsumendum sit? Resp. Quisque quidem sanæ mentis præsumitur, nisi contrarium probetur; at verò si constet aut probatum sit, testatorem fuisse furiosum, præsumitur furor continuatus. Ratio: quia res præsumitur mansisse in eodem statu in quo fuit.

*Manz. in tr. de Testam. val. &  
inval. Tit. 2. n. 71.*

928 Quæres 2. An notario & testibus referentibus, testatorem tempore conditi testamenti habuisse dilucida intervalla, credendum sit, si nimirum immediatè ante & post testamentum furore correptus fuerit? Respondet Strick de Caut. testam. cap. 3. §. 21. Si notarii & testes ante conditum testamentum mentem testatoris non nullis interrogationibus tenuaverint, & de prudentibus responsionibus referant in ipso testamento, eorum relationi standum esse.

929 Respondent alii apud Laud. Strick, tutius esse, ut alius notarius ad explorandam testato-

ris mentem adhibeat, ne fraudibus locus detur, licet ipse putet, fraudibus hujusmodi per præsentiam tot testium occurri. Ego salvo saniori puto, cautius esse, ut medici abhibeantur, qui de mentis sanitate deponant, cum facilè esse possit, ut nec notarius, nec testes statum hujus morbi percipient, quod in medicis non præsumitur.

3tò: Prohibentur testari 930 mente capti, fatui, & cæteri, in quibus tanitas mentis desideratur, aliud est dicendum de simplicioribus, & stupidioribus. Ratio est: quia illi planè intellectu & ratione carent, securus ac hic, licet non omnia ita percipient, ut perspicaces.

4tò: Repellitur a testamen- 931 ti factione activa prodigus, cui bonorum administratio per iudicem est interdicta, non autem si ethicè duntaxat prodigus sit. §. 2. Inst. b. Ratio: quia hic administratio bonorum maximè relucet, quæ huic prodigo est interdicta.

5tò: Testamentum condere 932 nequit filius fam. pr. Inst. b. Ratio præ cæteris mihi placet

A a

hac:

hæc: quia testamentum non tantum importat bonorum translationem, verum etiam mancipationem omnium iurium familiae, cum autem filiusf. jura familiae nondum habeat, & hinc ea transferre nequeat; hinc mirum non est, quod Jura ipsum à testamenti factione arceant. Ita *Manz. de Testam. val. & inval. tit. 2. n. 94.*

**933** Ampliatur hæc regula: ut filiusf. nequidem cum patris consensu (*pr. Inst. b. eò quod testamenti factio ab alieno arbitrio pendere nequeat*) neque de peculio adventitio irregulari (*L. 11. C. qui Testam. fac. poss. quia nec hic est paterf.*) testari, neque legatum nec fideicommissum relinquere posse. *L. 1. §. 1. ff. de legat. 3. quia testamenti factione destituitur.*

**934** Non obstat 1. Quod filiusf. peculii adventitii irregularis habeat plenum dominium. Nam eo etiam supposito non habet jura familiae. Nec obstat 2. *L. fin. §. 5. V. filii C. de bon. quæ liber.* quia argumentum à contrario sensu corruit, cum

*Lex 11. C. qui testam. fac. poss. statuat contrarium.* Nec obstat 3. Quod filiusf. super hoc peculio possit contrahere; etenim contrahendi facultas non presupponit qualitatem patrifamilias.

Fallit data de filiis. intestabilitate regula *primò* in peculio castrensi *pr. Inst. b.* Ratio: quia quoad hoc habetur pro patref. ob militiae favorem. *L. 2. ff. de castrensi. pecul. 2dò fallit in quasi castrensi peculio. §. fin. Inst. de Milit. Testam.* Ratio: quia castrente & quasi castrente peculium æquiparantur.

Fallit in Electoratu Trevirensi, ubi filiusf. post implementum annum XVIII. de peculio, etiam de adventitio testari potest. *Statut. Trevirens. Tit. I. §. 3.*

Notandum tamen: filiumf. cum consensu patris peculium adventitium irregulare mortis causâ donare posse, *L. 25. inf. ff. de M. C. Donat.* Ratio: quia M. C. donatio saltem in fieri contractibus æquiparatur, quos filius cum consensu patris celebrare potest

**6tò:** Testari nequit servus.

Nec

Nec 7mō deportatus. Nec 8vō  
obsides. Nec 9nō peregrini,  
quod tamen correctum est per  
*Auth. Omnes peregrini. C. com-*  
*mun. de Succession.* Nec 10mō  
apostatae. Nec 11mō hæretici.  
Nec 12mō banniti, aut pro-  
scripti. Nec 13tiō surdus &  
mutus simul. Nec 14tō coecus  
regulariter, nisi adhibeat octa-  
vum testem.

### COROLLARIA.

*De iis, qui testamentum possint  
condere, vel non.*

939. Primum: Quod de impu-  
beris, furiosi, mente capti, &  
prodigi intestabilitate docui  
obtinere de Jure Romano, ab  
eo de praxi non est receden-  
dum, ex ratione, quod cūm  
horum inhabilitas oriatur ex  
Naturæ & Gentium respecti-  
vè, non autem ex Jure merè  
positivo, indubium est, hanc  
decisionem apud Nos etiam se-  
quendam esse.

940. 2dum: Filiūf. nequidem  
hodie testari posse, nisi super  
peculio castrœ, aut quasi ca-  
strœ, nam, licet hodie vetus

testandi formula per as & li-  
bram, quā familia mancipaba-  
tur sive transferebatur, in de-  
suetudinem abierit, attamen  
adhuc hodie requiritur, ut  
familia caput sit, qui testari  
super familia, seu hæredita-  
te cupit, qualem filius. non  
habet.

3tum: Etiam filiumf. sub 941  
illa quasi juris Gentium, matri  
in aliâ expressis circumstantiis  
competente potestate existen-  
tem, atestamenti factione regu-  
lariter repelli, quia & hic fa-  
miliam non habet, quam per  
hæredis institutionem trans-  
ferre possit.

4tum: De jure Canonico 942  
filiusf. pro anima, patre conser-  
tiente, testari potest. Cap. licet  
4 de sepult. in 6. ibique Barbosa.  
Quam sententiam Tiraquell. de  
Privil. piæ causæ pricil. 18. per  
tot. in praxi tenendam asserit.  
Ratio fortè est, quia in favorem  
piæ causæ filiusf. quo ad hunc  
actum habetur pro emancipa-  
to.

5tum: Quod licet filiaf. 943  
nupta neque de dote, neque de  
bonis maternis vi juris Romani  
testari valeat. Manz. in tr. de

176

*Instit. Lib. 2. Tit. 13.*

*testam. val. & inval. tit. 2. §. 123.* attamen hodie hoc eidem regulariter indulgeatur, quia hodie per nuptias, concurrente separatione laris & foci, regulariter dissolvitur patria potestas; & hinc in tali filia nupta cessat prohibitionis ratio.

944 6tum: Quod si filius s. testatus adjecerit clausulam codicillarem, intellige cum patris consentu v. g. ut testamentum valeat jure donationis, aut alias omni meliore modo, talis voluntas valeat saltem in vim donationis mortis causâ ab intestato. *Manz. l.c. n. 136.* Ratio: quia talis clausula facit aetum valere omni meliori modo, quo potest, & hinc in vim donationis mortis causâ.

945 7mum: Patre bannito, aut fustigato cum perpetua relegatione filius validè testatur, quia eo casu pater jura civitatis, & hinc patriæ potestatis amittit, filius autem sui juris factus validè testatur. *Strick. de caut. testam. cap. 3. §. 44.*

946 8vum: Hodie quia captivitates servitutem connexam non habent, & patria potestas patri, licet à Turcis capto, salva

manet, testamentum interim factum nullum est, sive pater redeat, sive captivus moriatur. *Strick. loc. cit.* cui adstipulatur *Manz. de testam. val. & inval. tit. 2. §. 149.*

9num: In Electoratu Coloniensi quilibet testamentum condere potest de bonis omnibus, qui nec jure Justinianæ nec moribus repellitur. *Statut. Col. Elect. tit. 1. §. 1.* Concordat Statutum Electoratum Tivrensis *Tit. 1. §. 1.* Mores non repellunt à testamento factione liberos, contracto licet nondum matrimonio, à laribus paternis separatos. *Sande L. 2. Tit. 7. def. 5.*

10mum: In Ducatibus Julianæ & Montium testamenta de bonis immobilibus hæreditariis ibi sitis, nulla sunt, licet pactis dotalibus id concessum esset. *Melchior Voets in hist. jur. Jul. n. 119. & 120.*

11mum: In Principatu Leodiensi vir uxore lethaliter decumbente, de bonis suis testamentum facere nequit in liberorum præjudicium. *Carolus de Mean in jus Leodiens. obs. 84. n. 1.*

12mum

950 12mum: Jure Marchiæ Brandenburgensis maritus in præjudicium uxoris testari non potest, sed salva & integra manet uxori dimidia bonorum.  
*Joachimus Scheplitz in consuet. Brandenb. p. 3. Tit. 2. §. 23.*

n. I.

951 13tium: De consuetudine Ubio-Agrippinensi ultimò superstes de bonis, prædefuncto per scrinium communicatis, extantibus liberis, nequit testari.

## T I T U L U S XIII.

952 Visâ testamentorum formâ extrinsecâ supra *Titulo 10. expositâ*, nec non testatorum ha- & inhabilitate, de quâ *Tit. 12. egi*, sequitur modò forma intrinseca, tum hæredis institutio, quæ basis est & fundamen-tum testamenti. §. 34. *Instit. de legat.* tum contraria institu-tioni exhæredatio, proinde Imp. noster hic materiam exhæredationis, *Titulo seq. verò hæredis institutionem tractat*, quem ductum ego insequendo

Dico: Hæredis institutio-nem duplicem esse, aliam nece-sariam, aliam voluntariam; ne-cessaria resplendet in iis, qui aut necessariò hæredes insti-tuendi sunt, aut exhæredandi, quales sunt 1. Liberi. 2. Iis defi-cientibus parentes. Et 3. certâ ratione fratres, si scilicet turpi personæ postponantur; Volun-taria est omnium, ab his distinctorum. *De qua tit. seq.*

Est autem exhæredatio ex-clusio alicujus ab hæreditate de-bitâ verbis dispositivis, justa ex causa, facta. Sic itaque exclu-dendi sunt primò: Liberi, aut hæredes instituendi, Ratio à JCto Paulo in *L. 11. ff. de liber. spost. redditur*, quia liberi re-gulariter censentur bonorum paternorum condomini, ob votum tacitum, ex speciali san-guinis affectione præsum-p-tum, quo videntur liberis velle thesaurizare. *L. nam et si 15. in pr. ff. de in officio testam.* nec non propter spem successionis, quam habent, quod fictum condominium in ipsis est con-tinuandum per hæredis insti-tutionem, aut præscindendum per exhæredationem, ne post

mortem parentis duo bonorum sint domini, nimisrum filius & haeres institutus. *Manz. intr. de testam. val. & inval. tit. 8. q. 2. n. 4.* Ex quibus

955 Conclades 1. Testamentum ob liberorum præteritionem regulariter nullum esse & invalidum. *L. 30. ff. de lib. & posth. ibique Brunn.* Ratio est: quia sicuti institutio basis est & fundamentum testamenti, ita pariter exhaeredatio, per consequens quia testamentum, in quo est præteritus filius, nec continet institutionem nec exhaerationem, fundamento destituitur, & hinc corruit.

956 Conclades 2. De Jure Instit. per § 5. b. nec non Cod. *L. 4. de liber. præter. etiam filias esse instituendas, aut nominatim exheredandas, ita ut hoc jure etiam filia præterita testamentum nullum dicat.* Ratio est: quia per *LL. 12. tabb. foeminæ æqualiter succedunt ab intestato cum masculis, & hinc æqualiter cum his videntur esse in in testamento honorandæ.* *Brunn. ad. d. L. 4. C.*

957 Conclades 3. *Ex cit. §. 5. nec*

non *L. 4. cit.* quoque liberos ulterioris gradus, v. g. nepotes filio mortuo esse haeredes instituendos, aut nominatim esse exhaeredandos. Ratio: quia nepos in locum defuncti filii succedit, & hinc ad modum filii est honorandus, quia illum repræsentat. *Brunnem. l. c.*

Conclades 4: De Jure novissimo Novellarum testamentum est nullum, in quo mater, avus maternus, & alii per linéam maternam ascendentib[us] liberos ex filialibus præterierunt. *Manz. l. cit. num. 41. q. 2. tit. 8.* post plures allegatos. Rationem dat *n. 62.* quod de Jure antiquo præteritio matris &c. &c. ideo habita fuerit pro exhaeratione, quia eo Jure etiam nuda voluntas ad exhaerationem, nullâ causâ expressâ sufficiebat; at hodie cum elogium exprimi debeat, per *Nov. 115. cap. 1.* nuda matris voluntas non sufficit ad testamenti valorem, ita nec ejusdem præteritio.

Conclades 5. De Jure saltem novissimo etiam emancipati instituendi sunt haeredes, aut

aut nominatim exhæredandi.  
Decisio videtur haberi in Nov.

lect. ad Sruv. Syntag de Lib. §  
posth. th 26.

115. cap. 3. ibi: *Sancimus igitur, non licere penitus patri vel matri, aut avo vel aviæ &c. filium aut filiam, vel cæteros liberos præterire &c. nisi forsitan probabuntur ingratiti, & ipsas ingratitudinis causas parentes nominatim suo inseruerint testamento. Quæ decisio cùm sit generalis, hinc etiam de emancipato est intelligenda. Et hanc sententiam Manz cit. loc. testatur communem esse & in praxi receptam. Ubi tamen*

Conclades 6. Naturales quo- 962  
que liberos à matre, & ascen-  
dientibus maternis in testamen-  
to instituendos esse, aut nomi-  
natim exhæredandos, aliás te-  
stamentum nullum erit. Ber-  
lich. concl. II. n. 7. Ratio est:  
quia in L. si suspecta 29. §. 1. ff.  
de inoffic. testam. filiis naturali-  
bus legitima in bonis mater-  
nis debetur jure sanguinis,  
ergo succedunt sanguinis ne-  
cessitate, & hinc sicuti ne-  
cessitas instituendi, aut exhæ-  
redandi alios liberos vel ex  
hoc capite aliis parentibus in-  
cumbit, ita etiam matri respe-  
ctu naturalium. Manz. l.c. n.  
232. & seqq.

960 Notandum 1. Hoc testa-  
mentum, in quo liberi sunt  
præteriti sive causa, nullum  
esse, eò quod forma non fit  
servata, sive quæ actus testa-  
mentarius nullus est. vid. Manz  
loc. cit. n. 100.

Conclades 7. Neque patrem, 963  
neque parentes lineæ paternæ  
teneri ad instituendos, neque  
ad nominatim exhæredandos  
liberos naturales. Ratio est: quia  
hi nec patri nec paternis ascen-  
dientibus succedunt, neque jus  
habent ex eorum hæreditati-  
bus petendi legitimam.

961 Notandum 2. Emancipatos  
moribus nostris per tacitam e-  
mancipationem, v. g. per se-  
parationem laris & foci, jura  
familiae adhuc retinere, & pro  
suis habendos & necessariò in-  
stituendos esse, aut nominatim  
exhæredandos, Lyncker in ana-

2dò: Deficientibus descen- 964  
dentibus instituendi, aut exhæ-  
redandi sunt parentes. Nov.

115. Cap. 4. in pr. & in fine Ratio: quia parentes & liberi mutuam sibi debent pietatem; nam sicut liberos naturae simul & commune parentum votum ad bona eorum vocat, ita parentes ad bona liberorum admittit ratio miterationis. Manz. de testam. val. & in val. tit. 9. q. 1. n. 1. & seqq.

965 Ampliatur: Ut testamentum, etiam à filio emancipato, conditum de jure Novellarum nullum sit, in quo parentes, sive pater, sive mater sunt præteriti. Ratio est: quia Nov. 115. Cap. 4. in pr. & in fin: de liberorum testamentis inter parentes eadem ordinat, quæ de testamentis parentum inter liberos jam tum disposuerat, jam autem testamentum tam patris quam matris, in quo filius, etiam emancipatus, est præteritus, de jure Novellarum nullum est juxta dicta. Vid. Manz. loc. cit. n. 8. Ex quo

966 Infertur: Filium naturalem teneri matrem, & reliquos ascendentis maternos hæredes instituere aut exhæredare, eò quod mater & reliqui af-

cidentes lineæ maternæ ad idem teneantur, at secus est de patre, & reliquis ascendentibus paternis ex natura correlativorum.

3tið: Frater autem fratrem 967 non tenetur nominatim hæredem scribere, neque exhæredare, sed potest illum præterire, absque quod testamentum nullum sit. Vitriarius b. n. 5. Ratio est: quia frater bonorum fraternorum nec habet fictum condominium, nec inter hos tale, ac inter parentes & liberos pactum intercedit, in quibus juxta superius dicta statuta aut institutionis, aut exhæredationis nominatim facienda necessitas.

Forma exhæredationis, ut sit 968 valida, consistit in sequentibus requisitis: primò: ut sit facta nominatim. pr. Inst. b. . . . 2dò ut sit facta pure L. 3. §. 1. ff. de lib. & posth. . . . 3tið: ut sit facta à tota hæreditate. Franz b. p. 2. n. 7. . . . 4tò: ut sit facta à toto gradu Institutionis, unde non tenet exhæredatio hæc formulâ celebrata: *Cajus, filio meo Mevio exhæredato, hæres*

res esto, si Cajus hæres non erit, causa sit... 2dō ut justa causa  
Mevius hæres esto. Unde

1969 Deducitur 1. De jure antiquo exhæredationem fieri nominatim; est eam fieri expresso nomine, de jure novissimo Novellarum expressâ ingratitudinis causâ. *Novel. 115. Cap. 3.*

970 Deducitur 2. Exhæredationem primo casu non nominatim factam, nullam modò fuisse jure antiquo, altero priùs jure novissimo. Ratio prioris est: quia, non expresso nomine regulariter de voluntate testatoris sumus incerti. Ratio posterioris: cum Imp. per exhæredationem, non expressâ causâ factam, nullum liberis velit generari præjudicium. *Nov. 115. Cap. 3.*

971 Deducitur 3. Exhæredationem utroque casu querelâ nullitatis impugnari posse, ad 30. annos intentabili. Hac differentiâ, quod priori casu etiam cætera capitula testamenti evacuentur, posteriori verò salva maneant. *Ea omnia jubemus adimpleri*, dicit Imp. in *Nov. 115. Cap. 3 circa finem.*

972 Exhæredationis justæ requisiſita sunt hæc: primò: ut justa

in testamento exprimatur, quod est cum elogio exhæredare. 3tio: Etiam ut hæres scriptus elogium, sive cautæ veritatem probet. *Ita Franz* putat. Ex quibus

Colligimus 1. Exhæredationem nominatim, & expresso nomine, & expressâ ingratitudinis causâ, factam, at ex causa injusta, ut poti minori expressis in Novella, validam esse, injustam tamen & ini quam, per querelam in officioſi rescindibilem.

Colligimus 2. Justâ causâ commissâ, in Novella expressâ, à testatore in testamento non nominatâ, sed alia justâ, exhæredatio valida est, at iniqua, & rescindenda.

Colligimus 3 Hæredes scripto, causam & à testatore, & in Novella expressam non valente probare, valente etiam in Novella expressam, exhæredatio licet valida, iniqua est, & injusta.

Sunt autem quatuordecim 976 justæ causæ, ex quibus pater liberos, octo, ob quas filius parentes, & tres, ex quibus

frater fratrem exhæredare potest, quæ expressæ sunt in Nov. 115. Cap. 3. & 4. & Arg. Nov. 22. Cap. 47. (ex practicorum interpretatione, *Strick de Caut. testam.* Cap. 19. §. 42.) & ordine recententur à Lauterb. ad ff. de *inoffic. testam.* §. 15. Ratio: quia causæ ibi expressæ testatori gravem inferunt injuriam, ob quam licet alium ab hæreditate debita excludere.

977 At quæres 1. An quoque ex æqualibus, aut saltem majoribus exhæredatio fieri possit? Resp. cum communi *Struv. Exerc. 32. th. 33.* ibique *Mull. lit. D.* Lauterb. b. t. §. 16. & *aliorum* affirmativè. Ratio est: quia præsumendum non est, mentem Imperatoris fuisse causas exhæredationis vagas ita determinare, ut æquè graves, & majores essent in filiis impunitæ.

978 Ad rationes in contrarium: quod nimirum 1. Nov. 115. loquatur taxativè. 2. Quod odiofa & poenalia non sint extendenda. Respond. 1. Novellæ locutionem taxativam operari exclusionem causalrum mino-

rum, non æqualium, minus majorum. 2. Poenalia & odiofa etiam ex rationis intensivæ identitate extendi posse, quia eo casu lex seipsum ampliat. Ita ferè Manz, in tr. de *Testam. val.* & *invalid.* Tit. 10 q. 9 per tot.

Quæres 2. Quæ sint tales 979 causæ? Resp. esse plurimas; v. g. Si filius sine patris consensu inhonestam uxorem ducat, si cum capitalibus patris inimicis amicitiam contraxerit &c. Vid. Manz. loc. cit. q. 10. per tot. Adhæc si libertoribus, & aliis infamibus personis se junxerit, vitæ dilectissimi patri filii insidiatus fuerit &c. Ratio est: quia ob has & similes causas patri gravis irrogatur injuria.

Cum viderimus, quinam & 980 à quibus aut nominatim hæredes sint instituendi, aut ex justa causa exhæredandi, modò emergit quæstio: in quanta hæreditatis parte personæ superius mentionatae sint hæredes instituendæ? ad quod Respondeo: in sola legitima, Nov. 115. Cap. 3. in pr. seu certa & congrua portione ejus, quod quis jure legitimæ successionis ab in- testa-

testato habiturus esset, legibus definita. Ratio: quia leges personis suprà enumeratis necessitatem partem tantum hæreditatis certis personis relinquendi voluerunt imponere, ne favor earum nimium augeatur, & ne facultas de rebus propriis disponendi plus à quo coarctaretur.

981 Legitima, liberorum saltem, hodie ita est auëta, ut, si quatuor, aut pauciores sint liberi, sit triens, sive tertia pars totius hæreditatis, si autem sint quinque, aut plures, legitima sit semis, seu media hæreditas. Prout exprimitur in Nov. 18. Cap. 1. Ratio est: ne liberi numero plures tam parùm consequantur, & in paupertate vivere cogantur. d. Nov. 18.

982 Quæres 1. An quoque parentum legitima sit auëta, quò ad semissim, puta: si cum parentibus tot fratres germani concurrant, ut numerus quinarius excedatur? Resp. Legitimam parentum, ex rationis identitate, quò ad trientem auëtam esse, licet desuper Nov. 18. Cap. 1. nihil explicitè disponat, concedunt omnes; at

dubitant de augmento quò ad semissim? Ego accedo sententiæ Lauter b. ad ff. de inoff. testa. th. 43. affirmativæ, ex ratione, quòd, sicuti Imperator in Nov. 18. Cap. 1. auget liberorum legitimam, etiam quò ad semissim, ne liberi numero plures parùm consequantur, ita pariter, ne parentes numero plures minimum consequantur, concedendum sit legitimæ augmentum.

Quæres 2. Quid de fratum 983 legitima dicendum sit? Resp. hanc non tantum quò ad trientem, verùm etiam ad semissim usque auëtam esse. Rationem dat Manz in tr. de testam. val. & inval. tit. 12. q. 7. n. 4. quia per Nov. 18. Cap. 1. omnium illorum legitima est auëta, qui de jure antiquo habebant querelam in officiosi testamenti, qualis & fratribus competit. §. 1. Inst. de inoff. testam.

Quæres 3. Cur legitima 984 hodie per Nov. 115. Cap. 3. in pr. liberis relinquenda sit institutionis titulo? Resp: Quia hic titulus liberis est multò utilior; nam primò si cohæredem habeant, gaudent jure accred-

184

*Instit. Lib. 2. Tit. 14.*

cendi. 2<sup>dd</sup> hæredes instituti  
habent pingue Legis fin. C. de  
edict. D. Hadriani tollend. re-  
medium, quibus privilegiis  
destituuntur, si hæredes in-  
stituti non sint. Nec obstat  
Nov. 18 Cap. 1. inf. utpote  
quæ per Nov. 115. Cap. 3. est  
correcta. Manz l.c. q. 13. num.  
2. & 3.

## COROLLARIA.

### *De exhæredatione.*

985 *1mum:* Liberi, contracto  
ante annum vigesimum quintum  
sine parentum consentu  
matrimonio in Electoratu Col-  
oniensi non possunt à legitima  
excludi. *Ordin. Elector. Col.*  
*Tit. 2. §. 4.*

986 *2dum:* Filius ante annum  
trigesimum & filia ante vige-  
simum quintum, sine consensu  
parentum, matrimonium con-  
trahentes, in Ducatis Juliae  
& Montium à bonis parentum  
donec vixerint, rectè repellun-  
tur. *Stat. Jul. Cap. 73.*

987 *3tium:* In Principatu Leo-  
diensi ad testamenti valorem  
sufficit, liberos non esse præ-

teritos, sed a liquid ijs relictum  
quolibet titulo, etiam legati vel  
alio. *Carolus de Mean in jus Leo-  
diens. obs. 80. n. 3.*

4tum: In Urbē Agrippi- 988  
nen si liberante annum vigesi-  
mum sine consensu parentum  
matrimonium contrahentes,  
possunt ab omnibus bonis, in-  
tra Coloniam sitis, exhæredari.  
*Stat. Civ. p. 1. §. 100.*

## TITULUS XIV.

### *De hæredibus instituendis.*

Dixi de Institutione necessa- 989  
ria, & illi opposita exhæreda-  
tione, dicendum nunc est de  
Institutione in genere, & in  
specie de voluntaria. Est au-  
tem hæredis institutio *nomina-  
tio successoris in universum jus  
defuncti*, quæ cum duplex sit,  
necessaria alia, de qua egi *tit. su-  
periori*, alia voluntaria, hinc  
statuenda est sequens

Regula: Hæredis institutio 990  
ad eo necessaria est ad testa-  
mentum, ut ea omissa nullum  
sit & invalidum. *L. 29. C. de  
Testam. Ratio:* quia testamentum  
ex sui natura dicit successi-  
onem

onem in universum jus defun-  
eti, ergo requirit hæredis in  
stitutionem, cùm in testamento  
alius modus in jus defuneti u-  
nivetsum succedendi non sit,  
quam hæredis nominatio.

- 991 Forma hæredis institutionis  
docente Franz. b. n. 11. consi-  
tit in sequentibus: primo: ut  
signis exterioribus sufficien-  
ter sit expressa .... secundo: ut con-  
stet de hæredis persona. tertio:  
ut hæredis institutio fiat in te-  
stamento. quarto: ut non pendeat  
ex alieno arbitrio. L. 32. ff. b. t.  
Unde

- 992 Sequitur 1. Hæredis insti-  
tutionem sub hac formula: *Fil-  
lius meus ex hæres esto, si intra  
annum non redierit: factam  
non subsistere.* Laud. Franz.  
Ratio, quia ex eo non sequitur  
filium, si redierit, hæredem in-  
stitutum esse.

- 993 Sequitur 2. Hæredis insti-  
tutionem, per relationem ad sce-  
dam, in testamento nuncupati-  
vito factam non tenere. *Cit.*  
Franz. Ratio: quia ad testa-  
mentum nuncupativum neces-  
sarium est, ut hæres coram  
testibus ita nominetur, ut illum  
indubitabiliter per verba cum

expressione nominis, aut sig-  
na certa personæ indicativa  
sciant.

Sequitur 3. Hæredis insti-  
tutionem sub hac formula: *Jo-  
annes amicus meus mihi hæres  
esto: conceptam non subliste-  
re, quando testator plures e-  
iusdem nominis habuit ami-  
cos, nisi probari possit unum  
præ aliis dilectum esse.* Muller  
ad Struv. Exerc. 33. tb. 8. lit. Y.  
quia in hoc casu dubium est, de  
quo testator senserit.

Sequitur 4. Hæredis insti-  
tutionem per errorem in no-  
mine, aut cognomine non viti-  
ari, v. g. Si testator matrem su-  
am, quam Annam ex errore ap-  
pellavit, instituerit hæredem.  
Mantic. de conject. ult. volunt.  
lib. 4. Tit. 5. n. 1. Ratio: quia  
eo casu de voluntate in perso-  
nam individuam destinata cer-  
tis sumus.

Sequitur 5. Hæredis insti-  
tutionem fieri non posse in co-  
dicillis, aut alia ultima volun-  
tate, s. pen. *Inst. de codicill.*  
multò minus per actus inter vi-  
vos. L. 5. C. de pact. Convent.  
Franz b. n. 11. inf. Ratio: quia  
hæredis institutio involvit suc-

cessionem in universum jus defuncti, quod testamento defertur.

997 Sequitur 6. Institutionem hæredis, saltem profani, directè in arbitrium tertii non posse conferri, unde invalida est sub hac formula: *Instituo hæredes illos, quos Titius voluerit, concepta.* L. 32. in pr. ff. de hæred. instit. ut & sub illa: *Si Titius voluerit, Mevius mibi hæres esto:* facta institutio. per L. 68. eod. Ratio: quia consilium testatoris certum esse debet, quale non est in arbitrium tertii collatum. Manz. in tr. de Testam. val. § in val. tit. 6. n. 24. n. 1. 2. § 3.

998 Dixi: *Hæredis institutionem directè in tertii arbitrium conferri non posse*, nam indirectè potest. v. g. *Titius hæres meus esto, si Mevius Capitolium ascenderit.* Prout deceditur in L. 68. ff. h. t. Ratio est: quia eo casu duo vult testator, & Titium sibi esse hæredem, & Mevium Capitolium ascendere. Manz loc. c. n. 4. § 5. per consequens hæredis institutio directè non pendet à Mevii voluntate,

Hæredes institui possunt omnes: qui non prohibentur; vetantur autem primo: deportati saltem de jure Justinianæ. L. 1. C. de hæred. Inst. Ratio: quia pro peregrinis habentur, qui juxta statim dicenda hæreditatum sunt incapaces.

2dō: De jure Justinianæ 999 vetantur peregrini. d. L. 1. C. hæred. Inst. Ratio: quia, qui cives non sunt, non licet hæreditatis, seu familiæ (quæ pars civitatis Romanæ est) dominos facere. Manz. in tr. de Testam. val. § in val. tit. 6. n. 77.

3tō: Tēm ad metallum, 1000 (nisi in alimentis) L. 3. ff. de his quæ pro non script. hab. quām ad triremes damnati hæredes nominari nequeunt. quia hi illis æquiparantur, & illi servi pœnæ fiunt. Manz l. mox cit. n. 80. § 81.

4tō: Liberi ex damnato 1001 complexu geniti à parentibus nequeunt hæredes institui. Auth. ex complexu C. de incestuo. nupt. Ratio stat in odio damnati complexū, licet ex æquitate juris Canonici alimenta eisdem relinqu possint, & debeat,

beant, cùm alimenta debean-  
tur ex jure Naturæ.

1002 5to: Pater spurium hæredem  
scribere nequit. *Ratio:* quia  
quò ad illum incertus est, &  
hinc scribens illum hæredem  
errat. *Dixi:* pater, nam ma-  
ter non prohibetur spurium  
hæredem nominare, eò quòd  
jus illi ab intestato succedendi  
habeat. *Manz loc. c. num. 108.*  
& seqq.

1003 6to: Pater nec naturalem  
nec simpliciter bastardum, hoc  
est: ex soluto & soluta extra  
concubinatum genitum, indi-  
stinctè hæredem instituit. *L.*  
*fin. C. de natural. lib.* & inde de-  
ducto argumento: quia hoc mo-  
do vitium paternum est refræ-  
nandum. *Quemadmodum*  
tenet sàpè Laud. *Manz. loc.*  
*cit. n. 15.*

1004 *Dixi 1.* Patrem indistinctè  
talem filium hæredem non scri-  
bere; nam si habeat liberos le-  
gitimos, non plusquam unam  
unciam naturalibus liberis, &  
matri eorum relinquere po-  
test. Per *L. 2. C. de natural. lib.*  
Quòd si autem legitimos non  
habeat, de jure Novissimo (se-  
cūs ac de jure Codicis) potest

simpliciter bastados, & na-  
turales hæredes universales fa-  
cere. *Nov. 89. Cap. 12. §. Si*  
*verò 3.* Idem *Manz n. 120.*

Dixi 2. Patrem: etenim 1005  
mater naturales æquè, ac sim-  
pliciter bastados hæredes re-  
ctè instituit, eò quòd respectu  
matris nulla neque quidam suc-  
cessionem ex testamento, ne-  
que ab intestato extet prohibi-  
tio, nisi illustris sit, aut etiam  
plebeja Juliacensis aut Mon-  
tensis.

### §. 9.

*De institutione hæredis pura,  
conditionali, & in diem  
concepta.*

Hæres non tantùm purè, sed 1006  
eriam conditionatè, aut quan-  
doque ex die institui potest.  
v. g. *Si navis ex Asia venerit.*  
Unde modò de conditionibus  
& die Institutioni appositisfa-  
cienda est inspectio, circa quam  
sequentes pono conclusiones.

Prima: Conditione impos- 1007  
sibili affirmativè concepta suis  
hæredibus adiecta hæredis in-  
stitutio vitiatur. *L. 15. de con-*  
*dit.*

*dit. inst.* Ratio: stat in odio & poena testatoris. *Vitria, b. n. 17.* Jura enim propter patris delictum hæreditis institutionem irritarunt. *Franz. b. num. 14.* saltem si sit lege impossibilis.

*2008 Secunda:* Condicio naturâ impossibilis extranei institutioni apposita habetur pro non adjecta; at lege impossibilis remittitur. *§. 10. Inst. b.* Ratio: quia hic duæ resplendent voluntates, una quæ fertur in hæreditis institutionem, altera quæ in conditionis implementum, & cùm huic satisfieri nequeat, omittitur.

*2009 Tertia:* Suo hæredi nec casualis, nec mixta, sed tantum potestativa conditio, quæ facile adimpleri possit, adjicitur, alias censetur præteritus. *L. 4. C. de inst. & substitut. &c. Vitriar. b. n. 18.* Ratio est: quia legitima debet ab omni onere libera esse, ergo conditione, nisi facile adimpleri posset, gravari nequit.

*2010 Quarta:* Conditio, si penes hæredem non stet, ut adimpleatur, pro adimplēta habetur. v. g. *nixta si quis Annam duxerit,*

*rit, hac renuente.* Ratio: quia ultima voluntas sic adimpleri debet ut potest, atqui hic aliter non potest, ergo &c.

*Quinta:* Dies certus hæreditis institutioni adiectus per modum termini à quo, v. g. *Titius hæres meus esto proximis kalendis Martii post meam mortem,* habetur pro non adjecto, & institutio, ac si purè facta foret, valet. Ratio: quia cum constet de voluntate testatoris volentis testatò mori, paganus autem nequeat pro parte testatus, pro parte intestatus decidere, hinc dies est habendum pro non adjecto. *Franz. b. n. 15.*

*Sexta:* Dies incertus an sit extiturus, v. g. *Titius hæres meus esto, cùm pubes factus fuerit;* vim conditionis habet. *L. 21. ff quando dies legat. &c.* quia nihil referre videtur, an hoc modo, an alio modo, v. g. *Si pubes factus fuerit,* testator dixerit.

*7ma:* Dies incertus, quando sit extiturus, tertio adscriptus, v. g. *Titius hæres meus esto, cùm Mevius morietur;* conditioni æquivalet, quia cùm con-

conditio mortis vivo Titio evenire possit, si eveniat, retro trahitur institutio ad tempus mortis testatoris.

1014 Octava: Talis autem dies adjectus ipsi hæredi v. g. *Cum Titius morietur*; habetur pronon adjecto, quia frustra in hærede videtur exspectari, quod in eo certò eventurum est.

1015 Nona: Dies per modum termini ad quem institutioni hæredis adjectus, v. g. *Cajus hæres esto ad Kalendas Martii*; indistinctè rejicitur, & pronon scripto habetur. §. 9. Inst. b. Ratio: quia semel hæres semper hæres est, neque potest definire hæres esse Vid. hæc bene tractans Franz. b. n. 15.

## COROLLARIA.

### *De hæredibus instituendis.*

1016 Primum: Hodie damnati ad mortem hæredes institui possunt, eò quod servi poenæ non fiant, sed statum integrum retineant; idem est dicendum de peregrinis. Auth. omnes peregrini C. commun. de succession. nisi per delictum essent pere-

grini facti, hi enim omne commercium juris communis amittunt. Strick. in U. M. de hæred. instit. §. 2.

Secundum: Docente Manz. 1017  
*in tr. de testam. val. & inval. tit.*  
6. q. 7. n. 79. apud nos permisum est, subditos alterius Provinciæ aut Regionis hæredes scribere, ita tamen, ut jura emigrationis persolvere debeant; nam pro diversitate locorum, si hæreditaria res aut per testamentum, aut ab intestato extra territorium sint transportandæ, solvenda est quandoque centesima, vigesima, aut decima quinta pars bonorum hæreditariorum.

Tertium: Regulam quidem 1018  
esse juris Romanî, quod nemo pro parte testatus possit decedere, eò quod hæreditas jus sit individuum, attamen hæc fallit de jure nostro, utope quo contraria est statuenda; Exemplum est in Ducatibus Juiliæ & Montium, ubi quis quod ad bona stipalia & stemmatica testatus debet, quod ad bona autem cætera testatus potest decidere.

2. Alterum est in Electoratu 1019  
Colo-

Coloniensi, in quo aut de tota hæreditate testamentum fieri potest, aut de parte, alterat ad proximiores devolente. Ord. Elect. Colon. Tit. 1. §. 8.

1020 Tertium exemplum est in Principatu Leodiensi, ubi alia successionis lex est in mobiliibus, alia in immobilibus, alia in bonis avitis & constante matrimonio quæ sitis, alia eo soluto. *Carolus de Mean in jus Leod. obs. 79 n. 4.*

1021 Testamento facto à Leodiensi in re certa, hæres institutus succedit in ea, hæredes ab intestato in aliis bonis. *Carolus de Mean in jus Leodiensi. obs. 275. n. 1.*

1022 Quartum exemplum: Marchia Brandenburgensis marito aut uxori tantum permittit, de dimidia bonorum disponere. *Joachimus Scheplitz in consuet. Brandenb. p. 3. Tit. 2. §. 6. §. 11. & §. 23. n. 1.*

1023 Quintum exemplum: In Urbe Agrippinensi ultimò superstes de bonis, defuncto per scrinium communicatis, ut pro parte in liberos devolutis, testari nequit, de non devolutis potest. *Edictum Sunnarii. §. 13.*

1024 Quartum Corollarium: Ad

testamentum adhuc hodie necessariam esse hæredis institutiōnēm, puta: si de mente testatoris, volentis præcisè testamentum condere, constet, eò quod adhuc hodie testamentum quā tale importet successionem in universum jus defuncti, quod hoc casu absque hæredis institutione transferri nequit.

Dixi: *Ad testamentum quā 1024 tale necessariam esse hæredis institutionem*: nam si de prædicta defuncti voluntate non appareret, licet non foret facta hæredis institutio, dispositio, etiam absque illa, subsisteret, non ut testamentum; sed ad modum ultimæ voluntatis, in genere considerata, quæ non exigit hæredis institutionem.

Quintum: Tradente Carpz. 1025 in juris p. forensi. p. 3. const. 9. def. 8. filii, quibus certa bona loco legitimæ sunt relicta, in eadem instituti censemur, quia si constet de testatoris mente, parum de verbis est curandum. Et licet Strick, de Caut. contr. cap. 13. m. 1. §. 31. contrarium cautelam suadeat, rationes tamen pro Carpzovū sententia non improbat.

Sex-

1026 *Sextum*: In Electoratu Coloniensi hæreditas sine institutione hæredis relinqu potest, subintellecā semper clausulā codicillari, licet non expressā.  
*Ordinat. Elector. Colon. Tit. I.*  
§. 8. Concordat Statutum Trevirente Tit. I. §. 27.

1027 *Septimum*: Jure Leodiensi valet testamentum sive hæredis institutionem contineat, sive non, modò liberi & parentes non prætereantur. *Carolus de Mean in jus Leodiens. obs. 86. n. I.*

1028 *Octavum*: In Electoratu Coloniensi hæreditas sine corporali apprehensione ipso jure devolvitur in hæredes in- & substitutos. *Ordin. Elect. Col. Tit. 9. §. 1.*

1029 *Nonum*: Consuetudo Leodiensis principatū: *Le mort sait le vif*, id est: hæredem facit possessorem, locum etiam habet in hærede, testamento scripto. *Carolus de Mean in jus Leod. obs. 97. n. 1.*

1030 *Decimum*: In Civitate Agrippinensi possessio hæreditatis sine corporali insistentia hæredibus scriptis quæritur, *Edict. Summarij. §. 3.*

## T I T U L U S X V.

Post institutionem hæredum<sup>1031</sup> sequitur *Substitutione*, seu *secundi hæredis in locum deficientis primi facta vocatio*, quæ duplex est, alia *vulgaris*, *pupillaris* alia. *Vulgaris* est, quæ fit à quo-cunque testatore in casum non aditæ hæreditatis, & hac aditâ exspirat.. *Vitriar. h. n. 3.* *Pupillaris* est, quæ fit à patre liberi *impuberibus*, *immediatè in potestate existentibus*; *in eum casum*, ut si hæredes fuerint, & *impuberis* deceperint, *alius hæres* fit. De qua *Tit. seq.*

*Vulgaris substitutione* fit, aut<sup>1032</sup> clausula generali. v. g. *Titius hæres meus esto*, aut si hæres non erit, *Mevius hæres esto*; quæ clausula generalis complectitur duos casus; & si *Titius hæres esse* nolit, & si hæres esse non possit. Aut fit sub clausulis specialibus, vel *in casum impotentiae*; puta: *si hæres esse non possit*, ut si sit deportatus, aut servus pœna factus &c. Vel *in casum noluntatis*; nempe: *si*

*hæres esse, & hæreditatem adire nolit. Ubi*

1033 Quæritur: An substitutus in unum casum specialem expressum, nimirum si *Titius hæres esse nolit*, & vicissim, intelligatur quoque substitutus in aliud specialem omissum, sc. si *Titius hæres esse non possit*, & contra? Respondent aliqui affirmativè cum *Struv. Exerc. 33. th. 13. ibique Mull. lit. A.* primò: quia substitutus sub clausula pupillari intelligitur quoque substitutus sub clausula vulgari. *L. 4. ff. b. t... 2dò: ed quod substitutus in casum emancipationis intelligatur quoque substitutus in casum mortis. L. 3. C. de instit. & subst.*

1034 Verum Ego cum Franz. b. n. 8. Mantic. de conject. ult. volunt. lib. 5. Tit. 1. n. 3. Harprecht ad §. 1. Inst. b. t. n. 7. & seqq. & aliis, contrariam tueor, & puto tali casu locum esse hæredibus ab intestato. Prima ratio est in *L. 21. ff. b. t.* ubi substitutus in casum, si hæres filius infra annum decimum decesserit, non intelligitur substitutus, si filius post decimum, licet ante annum decimum quartum, obierit, per conse-

quens sicuti substitutio pupillaris uno tempore expresso, non complectitur aliud non expressum, ita nec vulgaris, licet sit generalis, uno casu expresso continebit alium non expressum.

1035 Pro altero argumento elicendo sic arguo: Duo casus totâ specie distincti ex quantumcunque favorabili testatoris mente se invicem non complectuntur, partim, quia hoc naturæ rei repugnat, partim ne detur occasio extendendi verba testamenti ad casus, à testatore non volitos; atqui casus noluntatis & impotentiae totâ specie distinguuntur, cùm, qui non potest, non nolit, neque qui non vult, non valeat dici non posse, ergo &c.

1036 Ad contraria resp. cum laud. Franz. b. n. 19. primò: à casu in *L. 4 ff. b. t.* specialiter decisio legaliter non infertur ad nostrum casum, nullibi decisum, eo quod testatoris nihil interesse videatur, sive substitutus in unum, sive in utrumque casum admittatur, cùm contra in substrato casu hoc interesse possit testatoris, ut in casu no-

voluntatis hæredi successio-  
nem in acceptis ferret, & in casu  
*impotentia* testatori... 2dō:  
In utroque Legis. 3. C. de insit.  
& substit. casu idem est effe-  
ctus, sc. ne ad patrem filiorum  
quidquam perveniret, secus est  
in duobus nostris casibus, aliás  
enim testator facile potuisset  
scribere: *si Titius hæres non  
erit &c.*

1037 Ethanc *Mant. loc. cit.*, & alio-  
rum sententiam eò magis putò  
in foro practicandam esse, cum  
ex superiori dictis constet, rem  
testamentariam in nostro foro  
non esse æquè favorabilem ac  
de jure Romano, sed magis  
spectandum proximorum ab  
intestato favorem, per conse-  
quens apud Nos ex benigna  
testamentorum interpretatione  
ad catum in Jure clarè non  
expressum vix posse argui.

1038 Extiprat substitutio vulgaris  
primò, si hæres extraneus hæ-  
reditatem adeat, aut suus te im-  
misceat. L. 5. C. de *Impub.* &  
*aliis substit.* Ratio: quia eo casu  
deficit substitutionis conditio,  
nimis quod hæres non sit  
futurus. Secundò: si substitutus  
præmoriatur instituto. Ratio:  
quia, cùm tunc substitutus ca-

sum substitutionis non super-  
vixerit, ipsa deficit.

## COROLLARIA

Primum: Materiam substituti.<sup>1039</sup>  
tionis, faltem vulgaris, adhuc  
hodie in praxi obtinere, com-  
munior est Doctorum senten-  
tia. *Vid. Carpz. p. 3. Const. 8.*  
*Defin. 1. 3. & 12. Strick. in U.*  
*M. b. t. §. 1.* Ratio: quia cùm  
hodie usus testamentorum, &  
hinc hæredis institutionum sit  
in Germaniam receptus, nihil  
vetat, quo minus, sicuti quis  
primum hæredem sibi legiti-  
mè nominat, ita quoque se-  
cundum in locum deficientis  
primi possit eligere.

2dum: Hodie substitutum<sup>1040</sup>  
in unum casum non intelli-  
gi substitutum in alium totâ  
specie distinctum, nisi ex ve-  
rosimilibus & fundatis in facto  
conjecturis de mente testoris  
constet; prout sententiam suam  
contrariam declarat *Strick. in*  
*U. M. b. t. §. 3.* Ratio est: quia  
nisi idipsum ex circumstantiis  
constaret, essemus in dubio vo-

lunatatis, quo casu magis in favorem proximiorum foret pronuntiandum.

## TITULUS XVI.

## De pupillari substitutione.

<sup>1041</sup> Sequitur modò *substitutione* *Pupillaris*, quæ, juxta superiùs dicta, sit à patre liberis impuberibus immediate in patria potestate constitutis, in eum casum, ut si hæredes fuerint, & impuberis decesserint, alius hæres sit. v. g. *Titius filius meus impubes hæres esto, & si infra* ~~ad~~ *pubertatis annos decesserit, Mevius hæres esto.* Ratio: quia cùm pater vi imperii paterni jus habeat non tantùm in personas, verùm etiam in bona librorum, etiam de his disponendi à Jure habet concessam facultatem.

<sup>1042</sup> Sunt itaque requisita pupillaris substitutionis primò: ut pater vel avus paternus sit, qui liberos habeat in potestate patria. *L. 2. pr. de vulg. & pupill. subst.* Ratio: quia pater etiam iure Naturæ hac ætate dirigit

actus filii. *Grot. 2. cap. 5. §. 2.* quem sequitur *Vitria. b. n. 2.*

2. Ut impubes sit, cui pupil.<sup>1043</sup> lariter substituitur. *pr. Inst. b.* Ratio 1. quia pubes sibimet ipsi testamentum condere potest, adeóque vicariâ isthac testamenti factio ne non eget. Franz *b. u. 3.* Ratio 2. quia parens etiam actiones filiorum post mortem dirigere potest, quo usque filii eaſdem ipsi de jure regere nequeant, quod in puberes hoc in puncto non cadit.

3tò: ut post mortem sub.<sup>1044</sup> stituentis in alterius potestatem non sint recasuri. *L. 2. in pr. ff. de vulg. & pupill.* Ratio: quia si in alterius potestatem recidant, habent patrem, qui possit ipsorum actiones dirigere.

4tò: ut substituens sibi priùs<sup>1045</sup> validum fecerit testamentum.

§. 5 *Inst. b. t.* Ratio: quia pupillaris substitutione accessorium est & sequela testamenti paterni, jam autem accessorium, corruente principali, corruit. Franz. *b. n. 6.* Ex quibus

Sequitur 1. De Jure Justi.<sup>1046</sup> nia-

nianæ matrem reliquosque parentes, qui liberos non habent in potestate, v. g. linea materna non posse eisdem pupillariter substituere. Ratio: quia hi liberos hoc jure non habent in potestate patria, quæ est pupillaris substitutionis fundamentum. *Struv. Exerc. 33. th. 23.*

<sup>1047</sup> Sequitur 2. Avum paternum nepoti non rectè pupillariter substituere, si aepos in potestatem sui patris sit recasurus, eo enim casu, licet avus nepotem habeat in potestate, quia tamen, eò quod postmortem avi in potestatem sui patris recidat, patrem habet, possunt ab illo ejus actiones dirigi.

<sup>1048</sup> Sequitur 3. Quod, nisi pater sibi scriperit hæredem, pupillaris substitutio non subsistat, nam cum pupillare testamentum sequela sit paterni, illud per se non subsistit. Arg. d. §. 5. b. t. *Struv. loc. cit. th. 25.*

<sup>1049</sup> Exspirat pupillaris substitutio primo: pubertate sui hæreditis. *L. 7. ff. de vulg. & pupill. substit.* Ratio: quia ultra pubertatem non licet pupillariter

substituere. *Struv. loc. cit. §. 30.* adeò, ut ultimus dies cœptus habeatur pro completo, utpote quo in ordine ad testamenti factioñem impubes habetur pro pubere. *Mull. ad Struv. loc. cit.*

Exspirat 2dò: infirmatione<sup>1050</sup> totali paterni testamenti. *L. 2. per eod. ... 3tò: Si testamen- tum paternum aditione hære- dis destituatur. L. 2. §. 1. ff. b. t. 4tò: Si conditio substitu- tioñis deficiat. L. 8. b. ... 5tò: Si vivo patre impubes mortuus sit. ... 6tò: denique si ante im- puberem moriatur substitu- tus. *Vid. Struv. l. c. th. 31. ibi- que Mull. per tot.**

## COROLLARIA.

Primum: Hodie substitu-<sup>1051</sup> tionem pupillarem æquè ac vulgarem in viridi adhuc esse obseruantia. *Strick. in U. M. de vulg. & pupill. substit. n. 1.* Ratio est: quia quemadmo- dum de jure Romano pater- jus habet in personas, res & actiones liberorum, ita pariter de

de jure Germanico, cùm hoc ipsum conforme sit Gentium juri.

<sup>1052</sup> Secundum: Mater in iis locis, ubi vigore statutorum liberos in potestate habet, potest pupillariter substituere. *Mull. ad Struv. Exerc. 33. lib. 23. lit. E.* Ratio: quia hoc jure ad sunt pupillaris substitutionis requi-sita.

<sup>1053</sup> Tertium: Mater in circumstantiis quasi patriæ potestatis, ex jure Gentium proficiscens, potest quoque pupillariter substituere, quia & hæc potestas patria est imperium in personas, res, & actiones liberorum, quod fundat facultatem pupillariter substituendi.

<sup>1054</sup> Quartum: Pater non tantum legitimis; sed etiam legitimatis sive per subsequens matrimonium, sive per Principis rescriptum (modò hoc casu transeant in patriam potestatem) pupillariter substituere potest. *Mantica de conject. ult. volunt. lib. 5. tit. 9. n. 4. Strick. de Caut. Testam. ca9. 18. m. 2. §. 10.*

<sup>1055</sup> Quintum: Pupillari substitutioni similem esse quasi pu-

pillarem, seu exemplarem; quâ parentes in locum libero-rum furiosorum, & mente cap-torum, pubertatem etiam e-gressorum, alias hæredes vo-cant. §. 1. *Inst. de pupill. subst.* Ratio: quia, sicuti parentibus propter dominium in perso-nas & res liberorum impuberi-bus licet verè pupillariter sub-stituere, ita ob rationis iden-titatem quoque furiosis & mente captis, cùm hi illis æqui-parentur.

Sextum: Mater, licet de jure Romano verè pupillariter substituere nequeat, potest ta-men exemplariter. Ratio: quia illa fundatur in Jure patriæ potestatis, quo mater destitui-tur, hæc autem fit ob respe-ctum naturalis humanitatis in liberos. *L. 9. C. de impub. Et alii subst.* qui etiam in matrem cadit. *Strick. de Caut. test. cap. 18. m. 3. §. 8.*

Septimum: Quo ad bona <sup>1057</sup> paterna, & filii furiosi propria prævalet dispositio patris, quo ad materna autem matri. *Iaud. Strick. loc. eit. §. 9.* Ratio: eò quod quisque parentum libe-rum-

*Quibus modis testamenta infirmantur.*

197

rum quo ad propriam substanciam habeat arbitrium, licet quo ad bona filii imperium patris præferatur. *Juxta superiorius dicta de patria potestate.*

1058 Octavum: Pater quoque naturalibus liberis quasi pupillariter substituere potest, ob eundem pro liberis naturalibus militantem humanitatis respectum. *d. L. 9. C. de Imp. & aliis substit.* Dixi: *naturalibus:* nam ex damnato complexu genitis ita substitui nequit; ed quod Jura hos abhorreant. *Carpz. p. 3. const. 18. def. 25.*

1059 Nonum: In Electoratu Coloniensi pater aut mater liberis impuberibus pupillariter substituere possunt in bonis à substituente relictis, salvâ superstici legitimâ. *Ord. Elect. Colon. tit. I. §. II.*

1060 Concordat Statutum Trevirensse *Tit. I. §. 30.* ita, ut substitutio à feminis facta non possit à masculis impediri. *Statut. Trevir. loc. cit.*

1061 Decimum: Mater de consuetudine Leodiensi substituere potest pupillariter in bonis

pupilli. *Carolus de Mean in jus Leod. obs. 61. n. 10.*

Undecimum: Ex probabi-  
liori opinione de jure Leodiensium pater impuberi, ut in potestatem matris recafuro, pupillariter substituere potest. *Carolus de Mean in jus Leodiens. obs. 61. n. 21.*

**TITULUS XVII.**

*Quibus modis testamenta infirmantur.*

Testamentum, aut nullum declaratur, aut rescinditur per querelam in officiis, vel rumpitur, vel in specie irritum fit. Nullum declaratur 1. dum persona testatoris non habet testamenti factio[n]em activam, de quo egi *Tit. 12...* 2. quando illæ personæ, de quibus tractavi *Tit. 13.* non sunt hæredes institutæ, neque ex hæredatæ... 3. si ibi dictæ personæ (v. g. liberi) non sint ex hæredatæ ritè, id est: neque nominatim, aut causâ non adjectâ.... 4. aut solennitatem *Tit. 10.* expositæ non forent observatae.

D d

E e

<sup>1064</sup> Rescinditur testamentum per querelam inofficios, quando exhereditatio quidem ritè facta est, sed non justè, verùm iniquè, pura: *si hæres scriptus non possit causam probare.* Ratio: quia eo casu testamentum summo jure valet; at quia iniqutum est, rescindi potest, *de quo Tit. seq. 10.*

<sup>1065</sup> Rumpitur testamentum, quando in eodem statu manet testator, circa testamentum tamen aliquid accidit, quod illud vitiat. v.g. 1. aut per agnationem (puta: *si post conditum testamentum & mortuo testatore posthumus nascatur*) aut quasi agnationem sui hæredis; nempe: *Si extraneus post conditum testamentum arrogetatur.* s. 1. Inst. h... 2. Per posterius testamentum ritè confessum §. 2. Inst. h.... 3. Si testator testamentum deleverit, inciderit, cancellaverit, aut alio modo corruperit. Ex quibus

<sup>1066</sup> Deducitur 1. Testamentum etiam rumpi, si liberi naturales post testamentum factum per legitimationem patriæ potestati subjiciantur. Ratio: quia

eo modo saltē civiliter fiunt hæredes sui. Vid. Lyncker. resol 28. qui per quasi agnationem testamentum rumpunt.

Deducitur 2. Quod, per <sup>1067</sup> posterius testamentum aut ratione voluntatis, (simpliciter loquendo) aut defectu solennitatis imperfectum, prius non rumpatur, nisi postremum sit privilegium. per L. 2. ff. de *injust. rupt. irrit. &c. Auth. Append. ad Manz. tr. de testam. val. & inval. Tit. 22. n. 62. & 63.*

Deducitur 3. Testamentum <sup>1068</sup> per cancellationem, deletionem, inductionem &c. totalem (v.g. si nomen hæredi foret inductum, aut testium subscriptiones avulsa &c.) vel ab ipso testatore, vel alio ejus mandato, aut etiam eo consulo factam, rumpi. Ratio est: quod cum ista talis cancellatio, deletion aut inductione &c. totalis sit actus humanus, alio fine facta non præsumitur, quam ut haec voluntas revocaretur. L. 30. C. de testam.

Deducitur 4. Testamentum <sup>1069</sup> testatore inconsulto, aut casu fortuito, nec non à tertio sine testa-

testatoris voluntate cancellatum, deletum &c. licet totaliter, non rumpitur, modo adhuc omnia sint legibilia. *Strick.*  
*de Caut. testam. cap. 24. §. 24.* eò quod eò casu præsumi nequeat voluntatis mutatio.

1070 At quæres: quando cancellatio, deletio &c. consulto, quando inconsulto testatore facta præsumatur? Resp. Videlicet, an tabulæ reperiuntur apud testatorem? & eo consulto cancellatio, deletio facta præsumitur, eò quod homines sua elogia diligentissime custodire soleant. *Brunn. ad d. L. 30. C. de Testam. in fin.* *Strick. in Disp. de rasurâ cap. 2. n. 16.*

1071 Quod si autem Testamentum apud tertium rasum, aut cancellatum reperiatur, ab hoc rasura, aut cancellatio facta præsumitur. *Brunn. & DDres ad L. 12. C. de testam. per con-*  
sequens subsistit, quoisque non probatur, illud voluntate testatoris rasum aut cancellatum esse. *Lauterb. Dip. de Cancellat. th. 50. & seqq.* Hæc de rasura, cancellatione &c. to-

tali, & in parte substantiali facta, quo ad eam in parte accidentalii.

Deducitur 5. Rasura, can. 1072  
cellatio &c. in parte accidentalii  
consulto testatore facta, testa-  
mentum non infirmat. *Carpz.*  
*p. 3. Conf. 3. Def. 5.* quia ex  
eo præsumi non potest totius  
voluntatis mutatio, & hinc  
quousque non est mutata, rata  
manebit.

Deducitur 6. Per deletio 1073  
nem, rasuram, cancellationem  
&c. etiam in parte accidentalii  
(si ibi disposita non amplius  
sint legibilia) etiam testatore  
inconsulto, non manu hominis  
factam v. g. per muris arrosio-  
nem, testamentum destrui.

Ratio: quia eo casu versamur  
in dubio voluntatis, annon  
forte testator in linea sic carrosa  
contrariam fecerit dispositio-  
nem. *Lauterb. in disp. de can-*  
*cell. cap. 2. th. 50. post ibi alle-*  
*gatos.*

Denique testamentum irri- 1074  
tatur, vel ex parte hæredis, v. g.  
si is hæreditatem non ædeat; &  
tale dicitur in specie destitu-  
tum. Vel ex parte testatoris,  
v. g. per capitis diminutionem,

aut maximam (cujus hodie nullus est usus) aut medium (in cuius locum hodie banum Imperiale successit. *Lauterb. s. 30. de injusto, irrit. &c.* & fustigatio cum perpetua relegatione. *Strick. de Caut. testam. cap. 3. s. 51.*) aut minimam v.g. arrogatione. *Auth. Append. ad Manz. tr. de testam. val. & inval. Tit. ult. u. 83.* Ratio: quia his casibus testamen~~tum~~ <sup>mentum</sup> incidit in eum casum, à quo incipere non potuit.

## COROLLARIA.

*Quibus modis testamenta infirmantur.*

1575 1<sup>um</sup>: In Electoratu Coloniensi testamentum conjunctum à conjugibus in favorem liberorum erectum ab ultimo superstite ne quoad bona propria quidem revocabile est. *Or. din. Elect. Col. Tit. 1. s. 14.*

1576 2<sup>dum</sup>: In Principatu Leodiensi testamentum, à conjugibus in rem communium liberorum conditum, non potest à superstite revocari, à quocunque latere bona proveniant.

*Carolus de Mean ius Leodiens. obs. 82. n. 1.*

3<sup>ti</sup>um: Hoc jure utitur Mar. 1077 chia Brandenburgensis, ut alter ex conjugibus, simul testatis, dispositionem, quo ad sua bona, pro libitu revocare valeat. *Joachim. Scheplitz in consuetud. Brandenb. p. 3. tit. 2. s. 23. n. 14.*

4<sup>ti</sup>um: Testamenta Ubio- 1873 Agrippinensis, sciriis imposta, possunt coram duobus Scabinis, uno notario & duobus testibus, cassari. *Edict. Summarij. s. 16.*

5<sup>ti</sup>um: Testamenta coniugum reciproca in Electoratu Trevirensi sunt ita irrevocabilia, ut revocans relicto cadat. *Stat. Trevir. Tit. 2. s. 6.*

## TITULUS XVIII.

*De inofficio testamento.*

Vidimus, quomodo testamenta nulla declarentur, rumpantur, & irritentur; modò dicendum est, quomodo rescindantur. Rescinduntur autem per querelam inofficii testamenti, quæ est remedium ex- traot-

*De inofficio testamento.*

201

traordinarium, quo ritè quidem, sed iniquè exhæredatus, aut præteritus petit testamentum rescindi, si se hæredem ab intestato declarari. Vitria, b. n. 2.

Ex quibus

1081 Conclades 1. Quando auctori competit remedium ordinariū perveniendi ad bona defuncti, v. g. querela nullitatis, toties querela inofficiosi cessat. Ratio: quia per remedium ordinariū excluditur extraordinarium.

1082 Conclades 2. Præteriti (quos suprà ad Tit. 13. de exhæredatione liberorum, præteriri non posse, sed aut nominatim exhæredari, aut hæredes institui debere dixi, v. g. liberos & parentes) non habent querelam inofficiosi; sed nullitatis: quia non sunt ritè aut validè exhæredati.

1083 Conclades 1. A liberis nominatim quidem exhæredatis; at omisâ exhæredationis causâ querelam nullitatis, non autem inofficiosi testamenti intentandam esse. Ratio: quia hi ritè aut validè exhæredati non sunt, cùm causâ expressio per-

tineat ad exhæredationis formam, prout probat Nov. 115. Cap. 3. inf. ubi dicitur testamentum suam firmitatem habere, si testator causam ingratitudinis expresserit; quod si autem hoc observatum non fuerit, illud nullam vim habere. Manz in tr. de testam. val. & inval. Tit. 10. q. 16. n. 30.

Conclades 4. Liberos & no. 1084 minata ingratitude causâ, (quam expost apparet esse injustam, puta: quia in Nov 115. non est expressa, nec ibi expressis æqualis est, nec major) habere inofficiosi testamenti querelam. Ratio: quia eo casu sunt iniquè exhæredati, cùm causa justitia pertineat ad exhæredationis qualitatem, non formam. Vitria. b. n. 2. in med. vid. num. 847. suprà.

Conclades 5. Filium nominatim exhæredatum, etiam ex justa exhæredationis causa, puta: expressa in Nov. 115. aut ex æquali, aut majori, habere querelam inofficiosi, si hæres scriptus eandem probare nequeat. Ratio: quia eo casu est iniquè exhæredatus.

D d 3

Con-

1086 Conclades 6. Parentes præteritos contra testamenta filiorum habere regulariter querelam nullitatis, eò quod eo casu testamentum æquè nullum sit; cum contra parentibus sit, at iniquè exhäuserdatis querela inofficiosi competit, eò quod tale testamentum ipso jure subsistat, licet sit rescindendum.

1087 Conclades 7. Non omnis, qui præteritus est, habet inofficiosi querelam, cum filiorum & parentum præteritio regulariter testamentum nullum reddat, frater igitur præteritus habet hanc querelam, casu quo ipsi turpis persona est prælata. L. Fratres 27. C. de inoff. testam. Quæ per jus Novissimum non est correcta. Manz. in tr. de testam. val. & inval. tit. 10. q. 19. n. 9.

1088 Conclades 8. Præmentionatas personas (liberos & parentes) nec præteritas, nec iniquè, sed validè & justè exhäuserdatas non habere nec nullitatis; nec inofficiosi testamenti querelam; sed si quid desite eorum legitimæ, id actione ad supplementum, intellige: legitimæ, consequuntur. Ratio:

quia eo casu institutæ sunt, & hinc nec sunt præteritæ, nec iniquè exhäuserdatæ.

Conclades 9. Finem que- 1089 relæ inofficiosi esse, ut testamen- tum, quod ipso jure valet, rescindatur, & evacuetur, nec non, ut iniquè exhäuserdatus, re- scissâ exhäuserdatione, hæres, declaretur, nam, cum exhäuserdatus sese injustè exclusum queratur, petit se hæredem declarari.

Quæres 1. Quis sit diversus 1090 effectus querelæ nullitatis, & inofficiosi testamenti? Resp. primus est quod querela nullitatis durat triginta annis, cum contra inofficiosi querela quinque annis extipiret. Manz. in tr. de testam. val. & inval. tit. 10. q. 19. n. 9.

2dus est: quod testamento 1091 per querelam nullitatis ob filiorum aut parentum præteritio- nem nullo declarato, non tan- tum corruat hæredis institu- tio, verum etiam cætera capi- tula, legata, fideicomissa, & libertates. L. 17 ff. de injust. ir. rit. Ratio: quia quod nullum est, nullum producit effectum, at verò testamento per quere- lam

Iam inofficiosi evacuato hodie cætera capitula salva manent. *Per Nov. 115. cap. 3. § 4. Rationem dat Perez ad C. de lib. præt. n. 11. quia d. Nov. 115.* quo ad solum inofficium testamen-  
tum jus vetus corrigitur, licet de praxi verius putet *Strick. in U. M. b. t. §. 10.* quoque in ca-  
su quo testamentum nullum est, cætera capitula subsistere imò in nostris principiis usque ad eò jure Novellarum inspe-  
cto. *Vid. n. 971.*

<sup>1092</sup> *Itius est: Testamentum ex præteritione liberorum aut parentum nullum ita est invalidum, ut licet liberi, aut parentes ante testatorem moriantur, illud tamen non con- validetur. L. 7. ff. de liber. § posth. ibique Brunn. per tot. Perez. L. loc. cit. n. 9. Manz. in tract de testam. val. § inval. tit. §. n. 252. Mantic. de conject. ult. vol. lib. 4. Tit. 1. n. 29. § alii. Ratio: quia quod ab initio nullum est, tractu temporis non convalescit, licet ex post causa aëtis sublativa removeatur.*

<sup>1093</sup> At verò testamentum me-  
diante querelâ inofficiosi re-  
scindendum, liberis, aut paren-  
tibus iniquè exhæredatis, ante

testatorem mortuis per hære-  
des non potest impugnari, nisi  
querela fuerit præparata. *Per L. 6. §. 2. ff. b. t. ibique Brunn.* ubi declarat, quid sit querelam  
præparare. Rationem dat *Lau-  
terb. ad ff. b. t. §. 23.* eo quod  
querela actioni injuriarum assi-  
miletur, quæ etiam à defuncto  
non intentata ab hærede pro-  
poni nequit; *Laud. Lauterb.*  
*Brann.* Tamen excipiunt ca-  
sum, quo iniquè exhæredati  
liberi intra spatum delibera-  
di obiissent. *L. 34. C. b. t.*

*Quæres 2. Quomodo aëtio*<sup>1094</sup>  
ad supplementum legitimæ  
differat à querela nullitatis?  
Resp. licet aëtio ad supplemen-  
tum, seu conditio *ex L. 30. C.*  
*de inoff. testam.* æquè ac que-  
rela nullitatis, sit perpetua *per*  
*trad. Franz. b. n. 35.* Attamen  
differunt in eo, quod querela  
nullitatis, ex jure Pandectarum  
rum descendens, totum de-  
struat testamentum, at verò  
aëtio ad supplementum, sine  
testamenti impugnatione ten-  
dit solummodo ad supple-  
dum id, quod legitimæ deest.

*Quæres 3. In quibus mœx di-*<sup>1095</sup>  
*cta aëtio ad supplementum à*  
*que-*

204

*Instit. Lib. 2. Tit. 18.*  
querela inofficiosi discrimina-  
tur? Resp. Querela inofficiosi  
destruit totam hæreditis institu-  
tionem. *Nov. 115. cap. 3.* ta-  
metsi institutio plus contineret  
quam legitimam, secus in ac-  
tione ad supplementum. Dein-  
de ex dictis hæc est perpetua,  
illa tantum quinquennalis. De-  
nique querela est odiosa, &  
hinc restringenda, at actio ad  
supplementum favorabilis.  
*Vid. Franz loc. ci..*

## COROLLARIA.

### *De querela inofficiosi testamenti.*

1096 Primum: Querelam inof-  
ficiosi testamenti adhuc hodie  
esse in viridi observantia, ne-  
que exolevisse statuit *Sirick. in  
U. M. h. t. S. 1.* Ratio meo ju-  
dicio est, quod naturali rationi  
maxime conforme sit, ut testa-  
menta contra pietatis officium  
facta rescindantur, tum quod  
parentum commune votum li-  
beris, & parentibus ratio mi-  
serationis hæreditates deferat.

1097 Secundum: Liberos, quibus legi-  
tima non est relicta honorabili

instictionis titulo, tam de jure  
*Novellæ 115. cap. 3.* quam de  
jure Germanico non habere in-  
officiosi testamenti, sed nullita-  
tis querelam, quia eo non ob-  
servato testamentum nullum  
est. *Manz. in tr. de testam tit.*  
*12. q. 13. n. 6.*

3tium: Liberi, quibus cer-  
ta bona nomine legitimæ, aut  
dotis relicta sunt, hodie saltem  
habentur pro institutis, quia  
verbum relinquunt, junctum u-  
niversitati, institutioni æqui-  
pollet. *Cirpz. p. 3. const. 9. de  
fin. 8. § 9. Peregr. de fideicom.  
art. 36. n. 59.* Et hinc neque,  
tanquam præteriti querela  
nullitatis utuntur, neque velu-  
ti injustè ex hæredati de inoffi-  
cioso agunt.

4tum: Quod de liberis in 1099  
proximis duobus Corollariis  
docui, id ipsum cum propor-  
tione parentibus applicari de-  
bere, quia verior est de jure  
*Novissimo per Nov. 115. sen-*  
*tentia, quod etiam parentibus*  
legitima relinquenda sit hono-  
rabilis institutionis titulo, aut  
illi æquivalente. *Barry. de suc-*  
*cess. lib. 16. tit. 2. n. 3. Carpz.  
p. 3. const. 9. def. 1. § 2.*

5tum:

- 1100 5tum: Fratres, quibus legitima relictæ est quocunque titulo, non habere inofficios querelam. Ratio: quia de legitima, honorabili institutionis titulo fratribus relinquenda, nullo jure, nec Nov. 18. nec Nov 115. quiddam cautum est, ergo quo ad hos manet dispositio juris veteris, contenti in l. 30. & 32. C. de inoff. testam. Struv. Exercit. 10. §. th. 30, ibique Mull. lit. 9.
- 1101 6tum: Fratres non tantum germani; sed etiam (germanis) deficientibus, cum hi aliis præferantur in successione Nov. 118. Mull. ad Struv. Exer. 10. th. 19. lit. G.) consanguinei præteriti, aut iniquè exclusi à legitima, casu quo turpis, aut etiam levi maculâ aspersa persona ipsis est prælata, agunt inofficiosi querelâ. Prout decidit L. 27. C. de inoff. testam. ibique Brunn, ubi discutit, quænam sit turpis, & levi maculâ notata persona. Ratio: quia germani æquè ac consanguinei hoc modo injuriâ afficiuntur.
- 1102 7mum: Neque uterini fratres neque ulterioris gradū consanguinei ad querelam, ut ut turpi personâ institutâ, admittuntur. d. l. 27. C. de inoff. testam. Stuv. Exer. 10. th. 19. ibique Mull. lit. B. Ratio est, tum quod uterini agnati non sint, tum quod reliqui consanguinei ulterioris sint gradū, qui per consequens non intelliguntur tam gravi injuriâ affici.
- 8vum: Fratrum germanorum filii, licet cum suis thiis ad hereditatem defuncti thiis admittantur per Nov. 118. at-tamen à querela repelluntur. §. 1. instit. b. t. §. l. 1. ff. b. t. Lau-terb. ad ff. b. t. §. 21. Harprecht. h. s. 1. n. 40. Ratio est: quia licet argumentum à successione ad querelam teneat negativè, affirmativum tamen non concludit.
- 9num: Legitima jure Elec-toratus Colonensis debetur su-perstiti patri aut matri, substi-tutione pupillari ab avo aut avia nepotibus in bonis pro-priis factâ. Ordinat. Elect. Colon. tit. I. §. 11.
- 10mum: In Ducatis Juliae & Montium legitima non de-betur liberis in mobilibus, per

E e Statu.

Statutum superstiti adjudicatis. fœtus consistit in hæreditatis acquisitione, aut per immixtionem aut aditionem fiendâ, nam licet de jure Romano Civiili inter hæredem necessarium tantum (qui solâ juris autoritate sine suo facto necessariò hæres erat, v.g. servus hæres institutus) & hæredem suum & necessarium simul (qui pariter ipso jure sine aditione, & gestione, & ullo facto hæres erat, v.g. descendantium aliquis proximè in potestate constitutus) & extraneum (qui neque ipso jure, neque necessariò hæres erat) sit differentia, attamen de jure Prætorio liberis data est licentia ab hæreditate paterna abstinendi, & necessarii hæredes tantum celsant. Ex quo

- 1106** I 1mum: Jure Leodiensi legitima liberis non est relinquenda ex bonis, pendente viduitate quæsitis. *Carolus de Mean in jus leod. obs. 81. n. 1.*
- 1107** I 2mum: Eodem jure legitima non detrahitur ex mobiliis. *Carolus de Mean in jus leod. obs. 116. n. 2.*

**1108** I 3tum: Altera conjugis Marcani superstitis dimidia bonorum à præmoriente non potest legitimâ gravari. arg trad. à Joachimo Scheplitz in consuet. Brandenb. p. 3. tit. 2. §. 29.

**1109** I 4tum: Sic in urbe Agrippinenſi medietas mobilaris superstitis à legitima, per defunbitâ, libera est.

**1110** I 5tum: Legitima in Electoratu Trevirensi liberis relinqui potest quocunque titulo. *Statut. Trevir. tit. 1. §. 18.*

### TITULUS XIX. De Heredum qualitate & dif- ferentia.

**1111** Sub hac rubrica tractatur de effectu testamenti, nec insirmati ipso jure, nec officio Judicis per querelam, qualis ef-

Sequitur jure Justinianæ le-  
quiore hic duos esse acquirendarum hæreditatum modos, nim. *immixtionem in hæredibus suis*, qui antè etiam erant necessarii, & *aditionem in extraneis*. Est autem hæreditati se immiscere hæreditatem paternam admittere, & abstinere illam respuere. Contra adire in extraneo hærede est hæreditatem acceptare; & repudiare, illam

illam relinquere. Manz. ad stit. b. §. 5. n. 8.

- 1113** Aditio fit duobus modis, vel in specie, quando extraneus se verbis declarat, se velle hæredem esse, vel per hæredis gestionem, dum se declarat factō, v. g. si quis res hæreditarias distrahat, ædes inhabitet, agros colat, æs hæditorum solvat. Ratio: quia hæc talia facta verbis æquivalent. Franz b. n. 3.
- 1114** Imp. Justinianus tam hæribus suis, antequam teneantur se immiscere, quam hæribus extraneis, priusquam obligentur hæreditatem adire, duo concessit beneficia, deliberandi alterum, L. 7. & 9 ff. de jure delib. atque alterum Inventarii, de quibus modo est videndum.
- 1115** Beneficium deliberandi est beneficium hæredi concessum, ut intra certum tempus in vires hæreditatis inquirat, ut deliberet, an eam habere, aut non habere velit. Ita Vitria b. n. 14 Dixa: intra certum tempus: quo super puncto disputatur: quantum sit illud tempus? & licet aliqui ex l. 19. C. de jure delib. putent esse anni spatium, ego

tamen malo cum mox laud. Vitrar. n. 15. arg. l. 7. C. de petit. hæred. dicere, præfatum beneficium usque ad 30. annos durare, modo brevius tempus ad sollicitationem creditorum non sit præfinitum.

Alterum beneficium est in-  
ventarium, quod est, omnium bonorum hæreditariorum legitime erectum repertorium. L. ult. C. §. 2. & 3. de jure delib. Dixa: legitime erectum; ad quod hodie necessaria sunt sequentia: Primo: ut ii. citentur, quorum interest, v. g. creditores tam testamentarii, quam hæreditarii. Secundò: ut adhibeatur specialiter requisitus notarius. Tertiò: ut interveniant duo testes.

Effectus ritè confeeti Inventarii sunt sequentes primò: quod hæres per omnia servetur indemnisi. secundò: quod ex legatis & fideicommissis particularibus possit detrahere quartam Falcidiam. tertio: quod hæres ignorans esse alios creditores possit prius venientibus solvere &c. &c. videatur Franz b. n. 10. Ex quo

Infertur: Hæredem negle-  
cto Inventario teneri ad omnia

E e 2 debita

debita tam hæreditaria, quām testamentaria sine diminutione exsolvenda. Laud, Franz h. in fine. Ratio est: quia eo casu hæres præsumitur aliquas res subtraxisse, eò quod in domo hæreditaria extiterit.

<sup>1119</sup> Corollarium: Hæres in Elec-toratu Trevirensi tenetur infra trimestre hæreditatem adire, aut saltem inventarium conficere. Statut. Trevier. tit. 10. § 1. & 2. quo omisso perdit Falcidiam, non Trebellianicam. Stat. C. §. 3.

## TITULUS XX.

### De legatis.

#### Principium & §. 1.

<sup>1120</sup> Sequuntur testamentorum accessoria, legata, fideicomissa, & codicillus, proinde hic videndum est de legato, quod est donatio quædam à defuncto relicta, ab hærede præstanta, §. 1. Inst. h. Dixi 1. donatio quædam: per quod denotatur improprietas hujus donationis, & hinc valet inter conjuges, valet quoque non insinuata, licet summan quingentorum solidorum excederet, subsistit non acceptata, revocari potest absque causa.

<sup>1121</sup> Dixi 2. à defuncto relicta: Po-

test autem aliquid aut verbis di-rectis relinquī, aut obliquis & precariis. Verba directa hīc sunt, quæ tantummodo duas perso-nas complectuntur, puta: testatoris, & ejus, cui quid relinquitur. v. g. Titius habeat ex mea hæreditate equum; Mevio lego domum meam &c. eò quod Titius & Mevius res sibi relic-tas capiant quasi ab ipso testa-tore, adeoque viâ directâ. Con-tra verba obliqua & precaria sunt, quæ præter testatorem complectuntur personam ter-tiam, à qua relictum capiatur. v. g. Rogo mando, volo &c. ut Titius equum meum det Sem-pronio &c. vid. Manz. h. §. 1. n. 8. Hinc.

Notandum est: Legatum effe<sup>1122</sup> donationem quandam à defuncto verbis directis legatario relictam, cum contra, si verbis obliquis res quædam alteri sit relicta, fideicommissum sit, de quo infra. Non obstante, quod in definitione subjungatur: legatum præstandum esse ab hærede: etenim illa verba non ad legati substantiam; sed ad ejus execu-tionem tantum pertinent, cùm aliæ verba obliqua fidei-com-

commissi substantiam ingrediantur.

§. 2.

De legatorum differentia, & actionibus pro iis consequendis.

1123 Cum hodie omnium legatorum una sit natura. §. 2. h. eo quod magis testatoris voluntas, quam verba sint spestanta; hinc nolo in differentiis eorum enumerandis me occupare, quae videri possunt apud Manz. h. n. 1. & seqq. sed solum dico: Pro legato consequendo tres competere actiones 1. Rei vindicationem. 2. actionem in sonalem ex testamento. 3. actionem hypothecariam. ~~est~~: ut ob maximum legatorum favorem pinguior esset agendi, eademque persequendi facultas. Manz. loc. cit. n. 14. & seqq.

1124 Primo itaque rei vindicatio, (quae juxia dicenda ad tit. 6. lib. 4. de action. in dominio ex parte actoris, & detentione ex parte rei radicatur) legatario pro consequenda re determinate legata, si testatoris propria sit, & in specie consistat, competit.

Ratio: quia is statim post mortem testatoris talis rei legatae acquirit dominium. L. un. §. 1. C. d. caducis tollend. L. 1 C. Commun. de Legat. & Arg. eorū quae ad hanc Legem tradit. Brunn. §. 2 ubi statuit: legata pura à morte testatoris ad hæredes transmitti.

Dixi: Rei testatoris propriæ, & in specie consistentis, nec non determinatè legatae, dominium statim à tempore mortis testatoris ad legatarium transfire, & talis rei intuitu eidem dari rei vindicationem. unde

Sequitur 1. quod pro re aliena legata (quæ quomodo legari possit §. 4. b. t. videbimus) non detur rei vindicatio, quia hujus rei dominium legatarius statim non acquirit.

Sequitur 2. Quod pro quantitate legata, v. g. titio do lego decem amphoras vini ex meo dolio: non detur rei vindicatio, quia cum non debeat species, dominium non transit, absque quo non procedit rei vindicatio, cum hæc præcisè in dominio fundetur.

Sequitur 3. Pariter rem alternativè legatam, v. g. Titio do lego dominum Tusculanam, aut

*Cornelianam*, legatarius perse-  
qui nequit rei vindicatione ,  
quia neutrius dominium ha-  
bet, eò quod alterutra præstari  
possit.

1129 2dō competit legatario actio  
personalis (quæ est actio con-  
furgens aut ex contractu vel  
quasi, aut ex delicto vel quasi)  
contra hæredem, ad id, ut hic  
rēm legatam præstet; hæres  
enim legatariis ex quasi con-  
tractu, per' aditionem hæreditatis  
inito, obligatur ad satisfa-  
ciendum debito ex testamento  
consurgentī. Ubi.

1130 Notandum est : actionem  
hanc personalem tunc maximè  
locum habere, quando, aut  
quantitas est legata, aut res al-  
ternativè, aut res aliena, aut  
quando ~~legatarius~~ rem legatam  
non detinet, quia eo casu rei  
vindicatio locum non habet,  
prout suprà dixi.

1131 3tiō Legatario datur actio  
hypothecaria (competens illi,  
cui res aliqua oppignorata est,  
aut hypothecata ad tradendam  
eam, donec solvatur debitum,  
in cuius securitatem res est af-  
fēcta) ad quascunque res hæ-  
reditarias tradendas, quoisque

legatum non fuerit præstitum.  
Ratio est: quia legatario pro  
legato universa defuncti bo-  
na sunt obligata. L. 1. C. com-  
mua de legat. Ubi

Observa: Tres prædictas 1132  
actiones non dari legatario cu-  
mulative, sed electivè, adeo-  
que unā electā ab aliis excludi-  
tur, quod probat *Manz b. n.*,  
20. per *L. 76. §. 8. de legat. 2.*  
Ratio est: quia plures hæ actio-  
nes eā tantum mente legatariis  
datae sunt, ut pinguior esse  
agendi facultas, non ut pluribus  
actionibus simul ad eandem  
rem agere liceat.

### §. 3.

#### *De exequatione legatorum, & fideicommissorum.*

Hoc §. docet Imperator le- 1133  
gata & fideicomissa particu-  
laria hodie esse exæquata, at-  
que inter una & altera quò ad  
aliquos effectus non esse diffe-  
rentiam, hinc Patet 1. Tres  
illas mox enumeratas actiones  
quoque in fideicomisso par-  
ticulari obtinere... Patet 2,  
quod autem ad substantiam at-  
tinet,

tinet, legata relinqu verbis directis, fideicomissa obliquis. Patet 3. consistere adhuc inter legatum, & fideicommissum universale discrimen. *De quo infra.*

### §. 4

#### *De legato rei alienæ.*

<sup>1134</sup> Non tantum res testatoris, & hæredis propria; verum etiam aliena legari potest, modò in commercio sit, & testator sciverit eandem esse alienam. Ratio prioris est: quia quisque non tantum sua; sed etiam rei ad hæredem pertinentis liber est moderator & arbiter: Ratio posterioris est: cum quod prioris generis res non sint alienabiles, tum quod testator si ignoraverit rem esse alienam, non præsumatur hæredem voluisse rebus alienis comparandis gravare, cuius præsumptionis defectus, stante rei alienæ scientiâ, cessat. *Videatur Harprecht b. §. 4. per tot. & præcipue n. 35. & 40. Ubi.*

<sup>1135</sup> Notandum 1. Onus proban-

di scientiam testatoris, rem fuisse alienam, incumbit legatario, eò quod auctoris, qualis hic est legatarius, sit intentio nem suam probare. *Harprecht loc. cit. n. 38.*

Notandum 2. Quod si do.<sup>1136</sup> minus rei alienæ rem vendere nolit, aut quidem vendere, sed pluris justo pretio, hæres te neatur præstare æstimationem. Ratio est: quia, cum tali casu legatum valeat, & res aut planè non, aut difficulter præstari possit, ne voluntas testatoris eludatur, æstimatio præstanda est. *Laud.* Harprecht. n. 9.

### §. 5

#### *De legato rei, alteri obligatae.*

Res pignori obligata recte<sup>1137</sup> legatur, modò testator hoc sciverit. Ratio patet ex dictis §. præcedente; adeoque hæres quoque hic rem à nexu pignoris liberare tenetur; at secus est in casu, ubi res, perpetuæ servituti, annuæ pensioni, aut aliis oneribus realibus perpetuis subiecta, testatore licet sciente,

sciente, legata foret. Rationem dat Harprecht h. n. 6. quia nexū pignoratitii facilis est liberatio; at non ita facilis alterius oneris perpetui.

<sup>1138</sup> Verūm mihi magis placet hoc fundamentum, quod bonus paterf. soleat hypothecas luere, sed non ita res ab oneribus perpetuis liberare, ut hinc præsumendum sit, testatorem ad prius voluisse hāredēm astringere, non autem ad posterius.

### §. 6.

*De legato rei, cuius legatarius vivo testatore factus est dominus.*

<sup>1139</sup> Quæres: An res aliena, cuius legatarius vivo testatore factus est dominus, eidem adhuc sit præstanda? ad quod Resp. negativè cum DDribus hic, ex ratione, quia eadem res bis haberi nequit. At dubium est: *annon præstanda sit aestimatio?* ad quod resp. statuendo sequentes regulas: Prima est: *Aestimatio rei legatæ, quam legatarius habet titulo*

onerofo, eidem præstanda est, èd quòd hoc casu id legatario absit, quod pro re exposuit.

Regula 2. *Aestimatio rei legatæ, quam legatarius consecutus titulo lucrative, eidem regulariter non debetur. Ratio: quia duo causæ lucrative in eundem hominem, eandemque causam non possunt concurrere.*

<sup>1141</sup> Dixi: *regulariter:* quia regula hæc procedit in casu, quo quis ex eodem testamento & rem & aestimationem peteret, tunc enim si rem habeat, non potest aestimationem consequi, nec vicissim, ex ratione jam data. Unde in casu, quo eadem res in diversis testamentis foret legata, sequens obtinet.

Regula: *Legatarius ex uno testamento habens rem, non potest ex alio petere aestimationem, neque rem, èd quòd & hanc & aestimationem habeat, utpote quæ rei inest: at legatarius ex uno testamento habens aestimationem ex altero potest rem petere, cùm pretium habens non intelligatur habere rem.* Manz, b. §. 6. p. tot,

## §. 7.

## De legato rei futuræ.

<sup>1143</sup> Regula: Non tantum res præsens, verùm etiam futura, v. g. *fructus nascituri*, legari potest. Ratio: quia spes objectum est aliorum actuum, v. g. *emptionis*, *stipulationis* &c. ergo etiam ultimarum voluntatum, cùm par utroque subsit ratio. Notandum autem: quod, si nihil natum fuerit, nihil etiam præstandum sit. *Laud. Manz. b.*

## §. 8.

## De eadem re pluribus legata.

<sup>1144</sup> Eadem res pluribus potest legari aut *conjunctim*, quando pluribus relinquitur & eadem res & eisdem verbis, seu unâ oratione, v. g. *Titio & Mevio fundum Tusculanum do lego*. . . . aut *disjunctim*, quibus eadem quidem res, at diversis orationibus relinquitur: puta: *Titio fundum Tusculanum do lego*, *Cajo fundum Tusculanum*

do lego; licet & hi conjunctorum appellatione veniant.... Insuper tertia est conjunctorum species, quâ plures verbis tantum sunt conjuncti, sive quando pluribus res eâdem oratione relinquitur, partibus tamen expressis, nimirum: *Titio & Mevio fundum Tusculanum æquis partibus do lego*.

De conjunctis hæc statuenda <sup>1145</sup> est regula: Conjuncti concursu partes accipiunt, & non capientis portio alteri accrescit cum suo onere. *L. un. §. 11. C. de cad. toll. ibique Brunnem. n. 58.* Rationem dat *Harprecht b. n. 5.* quia conjuncti propter unitatem sermonis quodammodo in unum corpus redacti sunt, & partem sibi conjunctorum quasi suam percipiunt.

De disjunctis fermè eadem <sup>1146</sup> danda est Regula: nimirum, concursu partes fieri, & non capientis portionem alteri accrescere, sed sine onere. *d. L. un. §. 11. C. de caduc. toll.* Rationem differentiæ assignat *Manz. b. n. 21.* quia testator eo animo disjunxit videtur legatarios, ut unusquisque suum onus ferat,

rat, non alienum, aliás enim conjugere eosdem potuistet.

**1147** De verbis tantum conjunctis quæritur: an jus accrescendi habeant? Negativam tuentur Harprecht h. n. 10. & seqq. Ant. Faber lib. 7. conject. cap. 1. & alii, ex ratione, 1. quod inter verbis conjunctos non sit realis conjunctio, cum ex mente testatoris partes habeant. 2. Quia diversae species juridicæ diversos debent producere juris effectus.

**1148** Ego tamen cum Lauterb. in Colleg. pract. de usuf. accrescendo §. 2. Struv. Exercit. 12. th. 28. ibique Mull. per tot. Carpz. p. 3. Const. 2. def. 24. & ibi allegatis malo, de praxi saltem, affirmativam defendere. Ratio 1. quia partes non habent reales, licet tales videantur habere ex verborum cortice, jam autem ubi partes reales non reperiuntur, solidum est, quod, concurrente testatoris mente, fundat jus accrescendi. Ratio 2. eò quod ex mente Cnijacii Lib. 24. obs. 35. aliás mihi contrarii verbis tantum conjuncti, si consulto & consilio conjuncti sint, ex voluntate testatoris re con-

juncti censeantur, inter quos est jus accrescendi,

Non refragantur rationes **1149** dubitandi, nam prima resolutur, quod verbis tantum conjuncti partes habeant non reales, sed secundum dici. Ad alteram resp. inter verbis tantum & re tantum conjunctos hunc esse diversum juris effectum, quod inter illos aequalis rei legatae facienda sit divisio, cum contra inter hos ex tacita & presumpta voluntate testatoris res in aequaliter dividi possit, si de hac voluntate pro meritorum ratione per presumptiones constet. Simile est in L. 4. ff. si usuf. petatur. ubi usufructu uni sub conditione legato, & alteri proprietate, usuf. pendente conditione non est penes heredem, sed legarium proprietatis, quia quod agere intelligitur testator, hoc pro cauto habetur. Brunn. ad cit. L. 4.

Ad textus ab Adversariis ad- **1150** duci solitos, nimirum L. 1. in pr. nec non L. pen. ff. de usuf. accresc. Resp. cum Widmond. ad ff. de usufr. accresc. n. 21. eodem non complecti casum con-

jun-

junctionis verbalis, sed omnime separationis; v. g. *Cajo do lego usumf. domus pro superiori, Titio pro parte inferiori;* quibus in circumstantiis æquè parum: jus accrescendi locum habet, ac si testator singulis legatariis usumf. à singulis hæredi- bus præstandum legasset, v. g. *Petro usumf. fundi Tusculani à Titio hærede, Paulo usumf. ejusdem fundi à Cajo hærede præstandum, æquis partibus do lego.*

## §. 9.

*De legato rei alienæ, cuius legatarius partim titulo lucrativo, partim oneroſo factus est dominus.*

<sup>1151</sup> Casus: Testator fundum alienum, quem scivit esse tallem, legavit Titio, hujus fundi nudam proprietatem Titius postmodum emit, usus. penes venditorem remanente; licet autem Titius ex causa lucrativa consecutus esset ejusdem fundi usumf. is tamen totum fundum ab hærede ex testamento petit. Quæritur an

jure? Respondet Imperator quod sic: quia ususf. in petitio- ne servitutis locum obtinet. Hoc est: quia ususf. est servitus, hinc strictâ juris ratione non intelligitur legatario acquisitus, cum res sua nemini serviat. vid. Harprecht n. 4.

Fallit tamen hæc decisio de <sup>1152</sup> æquitate ex dispositione nostri §. ut deducto usufructu tan- tum præstanda sit proprietatis æstimatio, quia hæc sola Ti- tio abest, ne contingat duas causas lucrativas in eundem ho- minem & causam influere. Manz. b. n. 8. quod exemplifi- catur in casu, quo pars fundi legatario donata est, altera au- tem ab eodem est empta, ut eo casu dimidiæ duntaxat præ- standa sit æstimatio. Harprecht. b. n. 5.

## §. 10.

*De legato rei legatarii.*

Legatum rei ad legatarium <sup>1153</sup> pertinentis non subsistit §. 10. b. quia quod nostrum est, no- strum deinde fieri nequit. Am- pliatur: ut nequidem conva-

lescat, si legataarius postmodum rem legatam alienaverit.  
§. 10. b. Ratio: quia, quod ab initio nullum est tractu temporis non convalescit.

## §. 11.

*De legato reis uæ, quasi alienæ.*

1154 Legatum rei ad testatorem pertinentis, quam ex errore putat esse alienam, valet. Ratio est: quia in hoc casu veritas, & testatoris voluntas opinioni sive errori prævalet. Non obstante: quod legatum rei alienæ, quam testator putavit esse propriam, non sustineatur, nam hoc casu præsumendum non est testatorem legatum reliquisse, si scivisset illam esse alienam.

## §. 12.

*De tacita legati ademptione*

1155 Videatur hoc super puncto Titulus seq.

## §. 13.

*De legato liberationis.*

1156 Valet legatum ejus, quod alias testatori debet, v.g., Ti-

tio id, quod mihi debet, do lego: Ratio: quia eo casu non tam res, & corpus quam jus aut obligatio, seu potius liberatio legata censetur. Habet autem tale legatum hunc effectum Primò: ut neque ab ipso debitor, neque ejus hæreda debet peti possit. 2dd: ut legataarius contra hæredem agere possit ad reddendum obligationis instrumentum, aut eundem alio modo liberandum. Manz. b. per tot.

## §. 14.

*De legato crediti.*

Legatum ejus, quod testator alteri debet, v.g. Titio do lego mille, quos eidem debo: eo casu valet, si plus sit in legato, quam in debito, puta: re, loco, tempore, & cansa. Unde valet legatum primò: Si testator debeat alteri centum, & leget eidem centum & quinquaginta. 2dd: Si testator debitum, quod Romæ promisit solvere, simpliciter leget. 3tiò: Si testator debitum conditionale, aut in diem contractum purè

purè aut absque die leget. 4tò: Si debito in genere, aut alternativè contracto, testator leget speciem determinatam, & meliorem. Ratio: quia hitce causibus legatum pinguis est, quam debitum. *Manz. b. à N. I.*

**§. 15.***De legato dotis*

<sup>1158</sup> Pertinet ad Pandectas.

**§. 16. 17. 18. 19. & 20.**

*De interitu rei legatae*

<sup>1159</sup> Dicam Tit. seq. de ademptione & translatione legatorum, ubi vide.

**§. 21.***De legato ejus, quod alius, testatori debet.*

<sup>1160</sup> Valet legatum ejus, quod testatori tertius debet, v.g. quod *Titius miki debet*, *Sejo do lego*. Ratio est: quia non tantum res corporalis, verum etiam incorporalis legari potest, videlicet: actio testatori contraterium competens, cuius testator dominus est.... At

quares: quomodo tale legatum præstari debeat? Resp. per cessionem actionis, ab hære legatario faciendam.

**§. 22.***De legato generis.*

Legatum generis <sup>1161</sup> JCtis est legatum rei non consistentis in individuo, licet alias Philosophis species sit, v. g. *Titio do lego equum, domum, fundum &c.* Contra legatum speciei est quando res consistens in individuo relinquitur. v. g. *Titio do lego Bucephalum, fundum Tusculanum, donum Corneliam*. De quo legato sint sequentes conclusiones.

Prima: Legatum generis <sup>1162</sup> summi, aut etiam subalterni, v.g. *substancie, corporis, animalis &c.* non tenet. Ratio est: quia hæres ob talis rei incertitudinem posset rem quamcunque, etiam vilissimam, præstare, & illudere legato. *Harprecht. b. n. 5.*

2da: Legatum generis insi- <sup>1163</sup> mi tenet simpliciter, quando testator species sub illo genere

comprehensas in bonis suis relinquit, v. g. *Titio equum & Mevio domum do lego &c.* Ratio: quia eo casu präsumendum est, quod testator de uno individuo, in bonis contento, senserit. *Harprecht. b. n. 7.*

<sup>1164</sup> Dixi: quando testator species, *sub illo genere comprehensas, in bonis suis reliquit:* Nam si nulla generis legati individua in bonis suis habeat, legatum non valet *simpli*citer, sed eo casu distinguendum est: utrum generis legati certa sit finitio, an non? hoc est: an individua à natura determinata, v. g. hominis, equi &c. An verò individua factò humano tantùm sint determinabilia, v. g. dominus, fundi &c.? pro cuius in tellectu statuendæ sunt aliæ duæ conclusiones.

<sup>1165</sup> 3ta: Legatum generis, cuius individua sunt à natura determinata valet, etiamsi testator nullum in bonis habeat, v. g. *Titio do lego hominem, equum &c.* Ratio: quia eo casu certi sumus de testatoris voluntate.

<sup>1166</sup> 4ta: Legatum generis, cuius individua factò hominis determinari possunt, non valet,

si nullum tale individuum in hæreditate reperiatur. v. g. *Titio do lego domum, fundum &c.* prout deciditur in L. 71. in pr. ff. de Legat. 1. Rationem dat *Brunnem. ad cit. L. 71.* quia hoc casu res est incertissima; quæ legata est.

At quæres 1. ad quid serviat <sup>1167</sup> data distinctio, cum utroque casu res legata sit incerta, eo quod, quemadmodum fundo legato hæres vilissimum posset præstare, ita pariter equo relitto? Resp. esse inter hæc duo latam disparitatem, nam facto hæredis violor possit determinari fundus, v. g. *una glebula*, quam ullum factum humanum haec tenus determinâset, cum contra hæredis factum violorum equum, ac jam reperitur à natura determinatus, nequeat determinare.

Quæres 2. Cui in casu, quo <sup>1168</sup> testator individua sub genere legato contenta in bonis habet, competit individui electio, an hæredi, an legatario? Resp. imò: Si testator verba direxit ad hæredem, huic competit electio. v. g. *Titius hæres meus Cajo præstet unum ex meis equis.*

*equis.* At si verba direxerit ad legatarium. v. g. *Cajus habeat unum ex meis equis;* ad hunc pertinebit electio. Ratio juxta Manz. b. n. 6. est: quod prior locutio haeredem tantum constituit debitorem; at posterior legatarium faciat dominum.

1169 Resp. 2. *Cum Imp. in textu b.* quod si testator nec ad haeredem, nec ad legatarium verba direxerit, electio pertineat ad legatarium. Ratio: quia huic concessa est gratia, quem proinde testator magis dilexisse presumitur.

1170 Ubi notandum: quod si electio sit penes haeredem, non possit is pessimum individuum præstare, neque legatarius optimum eligere, dum is habet eligendi facultatem. Ratio ne legatarius nimium gravet haeredem, & ne haredis electio contineat captionem legatarii. Manz. b. n. 7. inf.

1171 Dixi: quando testator habet in bonis individua sub genere legato contenta, legatarium habere electionem: Unde si talia individua in bonis testatoris non sint, non habet electionem legatarius sed haeres. Ratio.

quia in rebus alienis electio non conceditur. Manz. b. n. 7.

## §. 23.

## De legato optionis.

Legatum optionis est, cum <sup>1172</sup> testator jubet legatarium aliquam ex rebus suis optare, v.g. *Titi unum ex equis meis, quem voles, elige, tibi vindica, aut optato* Sc. cuius legati hic prælegato generis est specialis effetus, quod penes legatarium ita sit electio, ut etiam optimum eligere valeat. L 2. in pr. ff. de optione legata, qui textus legatario concedit simpliciter facultatem optandi, quem volunt.

## §. 24. 25. 26. 27. &amp; 28.

## De personis, quibus legari possit.

Regula est: Legari iis post <sup>1173</sup> test, cum quibus est testamenti factio passiva. De quibus egi supra ad tit. 14 de haeredibus Instit. Ratio: quia legata pendent ex testamento. Ex quo fluit econverso

- verso Regula : Legari iis non posse, qui ex testamento quidquam capere nequeunt. Unde
- 1174** Infertur 1. Quod, licet olim incertis personis v.g. *Quisunque filiam meam duxerit, eidem fundum Tusculanum do lego &c.* legari non potuerit ; §. 25. b. attamen hodie posit. *Myns. b.* Ratio : quia certum etiam ad hunc effectum est, quod potest à casu, aut eventu certificari.
- 1175** Infertur 2. Olim quidem alieno posthumo, v. g. *nato ex emancipato filio*, legari non poterat. §. 26. b. sed hodie potest, quia & hic eventu certificatur, per quod tollitur legatarii incertitudo. *Vid. §. 27. b.*
- 1176** Infertur 3. Legatum, nascituro ex tali foemina, quæ honestum matrimonium contrahere nequit, relictum ne quidem hodie subsistere. §. 28. b. Ratio : quia eo casu eventus nasciturum aut certificare nequit, aut si secus, certificat inhabilem.

### §. 29.

#### *De errore in nomine.*

- 1177** Regula : Error in nomine,

cognomine, prænomine, aut agnominé legatum non vitiat. §. 29. b. Modò alias de persona aut re constet. Ratio : quia nomina designationis gratiâ inventa ad substantiam nec personæ, nec rei quidquam conserunt. *Manz. b.*

Fallit regula, si error sit commissus in nomine appellativo, v.g. *Si quis cum vellet vestem legare, supellecilem legaverit, credens supelleciliis appellatione vestem contineri*; Nam eo casu legatum non debetur. *L. 4. in pr. ff. de Legat. I, ibique Brunnem.*

### §. 30.

#### *De falsa demonstratione.*

Falsa demonstratio est designatio, aut circumscriptio rei, quæ legatur v.g. *domum Cornelianam, quam à Tito emi*; cum esset empta à Sempronio, aut falsa designatio personæ, cui legatur v.g. *Tito Medicinæ Doctori do lego*, cum Titius esset Juris Doctor. Circa quam hanc Paragraphus hic dat regulam : Falsa demonstratio

stratio non vitiat legatum. Ratio: quia cum de corpore aut persona constat, parum curatur demonstratio. L. 34. ff. de condit. & demonstrat.

1180 Aliud est, ubi cum falsa demonstratione concurrit rei demonstratae defectus. v. g. *Titio do lego, quod Cajus mihi debet*, si Cajus non debeat, eo enim casu inutile est legatum, quia falsam demonstrationem concomitatur non existentia debiti, prout deciditur, in L. 75: §. 1. ff. de Legat. 1. & explicat Brunnem. ubi rationem decidendi collocat in incertitudine.

### §. 31.

#### *De falsa causa*

1181 Regula: Falsa causa, v. g. *Titio, quia Doctor juris est, 100. do lego*: legatum non vitiat, licet Titius Doctor juris non sit. Rationem dat Papinianus in L. 72. §. 6. ff de condit. & demonstrat. quia causa legandi legato non cohæret, hoc est: pars legati non est. *Carpz. p. 3. Const. 9. def. 20.* quod intellige de falsa causa impulsiva, nam secus est

de causa finali, sine qua testatur legatarus non fuisset. Puta: si causa respiciat honorem testatoris, aut ejusdem sanguinem. *Mantica de conject. ultim. volunt. Lib. 6. Tit. 14. n. 14. & 17.*

### §§. 32 & 33.

De legato servo & domino<sup>1182</sup> reliquo videantur Authores Harprecht. Myns. & Manz.

### §. 34.

#### *De legato ante hæredis institu- tionem reliquo*

Regula: Hodie legata etiam<sup>1183</sup> ante hæredis institutionem, & inter medias hæredum institu-  
tiones relinqu possunt, per L.  
24. & 25. C. de Testament. Ra-  
tio est: quia ordo scripturæ re-  
licuum non vitiat, modò alias  
de voluntate scribentis constet,  
*Brunneman, ad citatas LL.*

### §. 35.

#### *De legato post mortem hære- dis reliquo*

Olim neque post mortem<sup>1184</sup> hæredis, neque pridie, quam

Gg hæres

hæres moreretur; utiliter legabatur, tum, quia nec hæres, nec ejus hæres legatum præstare tenebatur (eo quod actiones, nisi contra hæredem cœptæ, ad ejus hæredem non transirent) tum quia dies incertus est, qui pridie mortis est, at hodie talia legata subsistunt Ratio: quia hodie neglecta illa subtilitate hæc præsumitur esse testatoris mens, ut hæredis hæres legatum præstet. Manz. h.

### §. 36. & Fin.

#### *De legato pœnæ nomine.*

1185 Legatum pœnæ nomine v.g. *Titus hæres meis esto, ut iuri indefessam operam navet, & nisi hoc fecerit, Mevio solvat mille.* hodie valet. Per L.l.un. C. de his qua pœnæ nom. &c. Rationem dat Manz. h. quia absurdum non est, ut neglegatius juris veteris scrupulositatibus à testatore honoratus ab eodem gravari possit. Vid. Brunnen. ad cit. l.un. C.

#### COROLLARIA.

#### *De legatis.*

1186 I<sup>m</sup>um; Species quatuor le-

gatorum in §. 2. *Inst. b. t.* traditas: per damnationem, præceptionem, finendi modum, & vindicationem adhuc hodie superesse, ad certum saltem juris effectum, nam si verba sint directa ad hæredem, v.g. in legato per damnationem, & finendi modum, ut si testator dixerit: *hæres meus Cajo unum ex equis meis dato, aut hæres meus finat Titum capere unam ex dominibus meis:* in legato generis hæres habet electionem, at si testator verba direxerit ad legatarium, puta: in legato per præceptionem, & vindicationem, quando dispoluit: *Titus præcipiat unum ex fundis meis, aut Caius sibi unum ex herbis meis sumito, capito, vel habeto:* legatarii est electio Ita quo ad rem Strick. in U. M. de Legat. §. 3.

2dum: Strick. in U. M. de 1187 Legat. §. 14 non assequitur Pontificis mentem in Cap. 5. & de testam. Etenim Pontifex non statuit, legatum rei alienæ de jure Canonum non valere; sed duntaxat hoc ordinat, iniquum esse, ut res Ecclesiasticæ alienæ, alteri legatæ, detineantur, si etiam hoc ipsum leges Civiles, in

in quibus pars opponens se fundabat, statuerent. *Gonz, ad cit. cap. Leuren, in for. Ecclesiast. de testam. 9. 707. n. 4. Reiffenst. n. 674. eod.*

**1188 3tium:** Legato chyrographo quoque debitum legatum censemetur, prout statuit. *Striek. in U. M. s. 17.* Et actis legatis omnia relicta existimantur, quæ defuncto ex talibus actis debentur. Ratio est: quia ultima voluntas testatoris impleri debet, ut potest, & per consequens, quia secundus voluntas esset derisoria, debitum legatum esse, dicendum est.

**1189 4tum:** Legatum domûs, licet testator nullam in bonis reliquerit, subsistere tenet. *Mull. ad Struv. Exercit. 35. th. 16. lit. x.* Ubi hoc exemplificat in legatis mentæ, crateris, vestimentorum, &c. quæ deberi ait, etiamsi testator nullas horum generum species reliquerit, & solo hominis factio sint determinabilia, quam sententiam juri Canonico conformem & moribus receptam, atque domum pro patrimonii viribus, & legatarii dignitate praestandam esse, existimat. *Grönewegen ad*

*l. 17. de Legat. 1. quibus adstipulatur Leuren. de testam. q. 710. contrarium autem Strick. in U. M. b. t. s. 22. defendit.*

**5tum:** Tametsi super bonis stipalibus & stemmaticis patriæ *Juliae & Montium* non teneat testamenti factio, attamen legatum talium bonorum aditâ hæreditate praestandum est, in casu, ubi testator haeredes revolutarios in reliquis bonis instituit, eisque injunxit, ut stemmatica bona tertio praestent, prout à gravibus Practicis pronuntiatum scio.

**6tum:** Legatum conditio. *1191*  
nale, puta: *Titio do lego decem, si Capitolium ascenderit; & modale,* videlicet: *Titio do lego decem, ut Capitolium ascendat;* differre, nam illud ante purificatam conditionem non praestatur, at hoc ante impletum modum, præviâ tamen cautionis præstatione, peti potest, quia conditio quidem relictum suspendit; at modus non. *Barry de succession lib. 17. tit. 3. n. 1.* Ubi alias differentias vide.

**7mum:** Legatum alicui relatum sub conditione: *si presbyter non fiat; praestandum esse*

224

*Inst. Lib. 2. Tit. 20.*

legatario, licet presbytero facto. *Peregrin. de fideicom. art. 28. n 75.* Ratio est: ne homines à suscipiendis sacris ordinibus avertantur. Quod idem à potiori de conditione: *Ne legatarius religionem ingrediatur;* est affirmandum.

1193 9vum: Falsa demonstratio-  
ne vitiari legatum, si cum illa  
concurrat rei demonstratae non  
existentia, v. g. *Titio do lego  
mille Imperiales, quos in arca  
habeo;* Si in arca nulli Imperia-  
les reperiantur. *Barry de success.  
Lib. 17. tit. 1. n. 1.* Quia eo ca-  
su testator magis certa corpora  
quam quantitatem legasse cen-  
setur.

1194 9num: Falsa causa legato  
conditionaliter adjecta illud vi-  
tiat. v. g. *Titio centum do lego,  
si negotia mea curavit;* ubi cau-  
sa legato conditionaliter est ad-  
jecta, quia ly curavit importat  
tempus præteritum, quod re-  
pugnat conditioni simpliciter  
tali. *Laud. Barry n. 2. loc. cit.*  
Ratio: q̄ia causa conditionaliter  
per particulam *Si apposita*  
legato cohæret, secus ac eidem  
adjecta causativa per particu-  
lam quia.

10um: Falsa causa quoque  
vitiat legatum, si testator alias  
legatus non fuisse, v. g. *Ti-  
tio do lego centum, quia est frater  
meus.* Allegatus *Barry loc. cit.*  
Ratio: quia si constet vel verè  
v. g. *Si testator hoc expresserit;*  
vel præsumptivè, eundem alias  
non fuisse legatum, causa le-  
gandi legato cohæret.

11um: In electoratu Co- 1195  
loniensi hæreditate, per lega-  
ta exhaustâ, legatarii ad mor-  
tificanda defuncti debita pro ra-  
tis tenentur concurrere. *Ordi-  
nat. Elec. Colon. tit. 1. §. 9.*

12um: Bonis hæreditariis 1196  
in ducatis Julius & Montium  
sitis, legatis, ne aestimatio qui-  
dem debetur. *Sande lib. 4. tit.  
4. def 4. v. 2. § 3.*

13um: In principatu Leo- 1197  
dieni bona realiter afficiuntur  
legatariis, deducto ære alieno,  
etiam personali & chyrogra-  
phario. *Carolus de Mean in jus  
Léod. obs. 67. u. 26.*

14um: Legatum immobi- 1198  
lium in Marchia. Brandenbur-  
gensis non subsistit, nisi quo ad  
aestimationem. *Joach. Schep-  
litz in consuet. Brandenb. p. 3.  
tit. 4. §. 3.*

15um:

1199 **I**5tum: Manus mortuæ legata honorum hæreditiorum & reddituum in urbe Agrippensis tenentur infra annum & diem in laicos transferre. Statut. Civit. p. 2. f. 66. art. 4.

## TITULUS XXI.

### *De ademptione & translatione legatorum.*

1200 Vidimus quomodo legata constituentur, modò inspicendum est quibus modis admittantur & transferantur. Adimuntur vel à lege vel ab homine; à lege aut in totum, v. g. *Quæ pro non scriptis habentur*, vel *quæ ut indignis auferuntur*, aut à lege adimuntur, secundum quid, puta: per legem Falcidiam, *de qua in tit. seq.... à testatore autem adimuntur*, quandoque *ipso jure*, quandoque *ope exceptionis*.

1201 Legata à testatore adimuntur ipso jure vel *verbis*, vel *factis*: Verbis quidem, si testator ita dixerit: *non do, non lego &c.* aut si testator declaraverit, legatarium de se maledicere meritum esse. Ratio: quia his casibus

testatoris voluntas mutata est, revocatā autem voluntate legatum corruit ipso jure.

Factis testatoris ipso jure adi-  
muntur legata, si legatum sit  
inductum, aut deletum L. 16.  
*ff. h. t.* si res legata absque ne-  
cessitate sit alienata. §. 12. *Inst. de*  
*Legat.* Si débitum citra necessi-  
tatem sit exactum; nec non si te-  
stator ex pretio rei legatae aliam  
emerit, insuper si rei legatae for-  
mam per totalem destruc-  
tionem mutaverit, v. g. si ex lana  
legata vestimentum fieri curave-  
rit. Ratio: quia hæc & similia  
facta cum legato stare nequeunt.

Ope exceptionis autem legata adimuntur, si aliquid interve-  
niat, ex quo colligitur mutata  
voluntas, v. g. si graves inter-  
testatorem & legatarium exortæ  
sint inimicitiae. Ratio: quia  
præsumendum non est, quod  
testator inimico suo voluerit be-  
neficium præstare.

Transfertur legatum qua-  
tuor modis 1. à persona in per-  
sonam v. g. *Fundum, quem*  
*Titio legavi, Mevio do lego.* 2.  
Quando ab eo, cui dare iussus  
est, transfertur, ut alii detur.  
3. Cum resprore datur, ut pro-

fundo decem aurei. 4. Quan-  
do quod purè legatum est, sub  
conditione datur. *Vid. Vitria.*  
*b. per tot.*

## TITULUS XXII.

*De lege Falcidia.*

1205 Cum dictum sit, quibus mo-  
dis legata adminantur *in totum*,  
restat ut videamus, quomodo  
adimantur *secundum quid* per  
legem Falcidiæ. Lege Falcidiâ  
autem cavetur, ne plus legare  
liceat quam dodrantem bono-  
rum, sive ut hæredi instituto  
relinquatur quarta bonorum  
pars. Ratio est: ne hæres, aut  
nullum, aut minimum lucrum  
duntaxat ex hæreditate habitu-  
rus, eandem repudiet, atque  
ita testamento destituto cum  
hæredis institutione legata cor-  
ruant.

1206 Competit ergo beneficium  
legis Falcidiæ hæredi ultra do-  
drantem gravato, & quidem  
si unus scriptus sit, huic soli.  
Dixi: si unus solus scriptus sit  
hæres: Nam si plures scripti sint  
hæredes v. g. *Titius & Mevius*  
*hæredes sunt*, & hæreditas le-

gatis sit exinanita, concluden-  
dum est.

1mò: Si plures scripti sint 1207  
hæredes, & ab omnibus lega-  
tum sit simpliciter, puta: *Ti-  
tius & Mevius hæredes mei sun-  
to, Cajo do lego sex millia, Sem-  
pronio pariter sex millia Imperia-  
lium*; ab omnibus una tantum-  
modo quarta deducitur. Franz.  
*b. n. 3.* Brunnen. ad L. 77. ff.  
*b. t.* Ex ratione quia eo casu  
plures illi hæredes pro uno re-  
putantur.

2dò: Si, pluribus hæredibus 1208  
institutis, legata nominari à  
certis relicta sint, singuli pro  
sua parte quartam detrahunt.  
Nempe: *Titius hæres meus esto  
ex semisse, Mevius hæres meus  
esto ex semisse, Mevius hæres  
meus Cajo præstet sex millia Im-  
perialium*; Hoc enim casu Me-  
vius portionis (in qua hæres est  
institutus) nim. sex millium Im-  
perialium quartam sc. 1500.  
Imperiales deducit. L. 77. ff. b.  
*t.* ibique Brunn. Franz. *b. n. 3.*

Quarta Falcidia detrahitur 1209  
itaque tam à legatis, quam à  
fideicommissis particularibus,  
utpote quæ ut plurimum sunt  
exæquata.... at queritur: an  
quo-

quoque à mortis causâ donationibus hæc quarta detrahatur? Resp. affirmativè per L. 5. C. ad legem Falcid. ibique Brunnem. Ratio: quia decisio de quarta ex legatis detrahenda quoque ad mortis causâ donationem ob identitatem rationis fuit extensa Carp. p. 3 constat 1. Def. 1.

<sup>1210</sup> Dubium est quoque: an ex relictis per pacta dotalia quarta Falcidia detrahi possit? Resp. cum Hahn ad Wesenb. de lege Falcid n. 6. vers. sed nunc obtinet &c affirmativè, modò pacta dotalia sint mixta, in relictis enim per simplicia deductio quartæ cessat. Ratio est: quia mixta species sunt ultimarum voluntatum, & in effectu nihil sunt aliud, quam mortis causâ donationes, inquitente prælau. Hahn. Nec obstant aliorum gravium J. Ctorum, contrariam sustinentium, sententiae, isti enim intelligendi sunt de iis locis, ubi speciali jure quarta Falcidia non obtinet.

<sup>1211</sup> Imputantur in Falcidiā ea, quæ hæres jure hæreditario perceperit, non autem, quæ jure suo, vel alio titulo, quam hæreditario capit. L. 91. ff. b. t.

Brunnem. *ibidem*. Hinc hæres imputat legatum, quod testator ipsi reliquit, sed sine esse étu, nec non prælegatum, quantum illud habet à se, licet secus sit de legato, quod habet à suo coherede. *Vid. Brunnem. ad cit. L. 91.* Ratio est: quia cum omnia onera hæreditatis in hæredem transleant, in eo sublevandus est, ut non nisi illa imputare teneatur, quam quæ habet titulo hæreditario.

Cessat Falcidia primò: si testator detractionem prohibuerit. Nov. 1. Cap. 2. §. 2. Licet de jure Pandectarum hoc non potuerit. L. *nemo potest* 55. de Legat. 1. Stephan. ad Nov. 1. n. 25. Ratio est: quia licet nemo facere possit, quominus leges in testamento suo habeant locum, attamen fallit haec regula, ubi per legem Recentiorēm pristina testandi libertas est reducta. Strick. de Caut. testan. Cap. 22. M. I. n. 3.

Cessat Falcidia 2dò: si hæres inventarium non consecerit. Auth. *sed cum testator.* 6. h. t. Nov. 1. Cap. 2. Ratio est: quia hæres non consecro inventario præsumitur aliquid subtraxisse

ex bonis hæreditariis. *Brunnem.*  
ad cit. *Auth. n. 13.* & hinc quem-  
admodum eo casu tenetur ul-  
tra vires hæreditatis, ita pari-  
ter cadit jure deducendi quar-  
tam.

<sup>1214</sup> 3tiō: Cessat Falcidia, si hæ-  
res detractioni Falcidiæ renun-  
tiavit vel expressè, vel tacitè. *L.*  
*46. ff. b. t.* v. g. si hæres spo-  
ponderit, se legata absque di-  
minutione soluturum, aut uni  
integra legata absque errore fa-  
cti exsolverit. Ratio est: quia  
quisque juri pro se introducto  
renuntiare potest.

<sup>1215</sup> 4tō: Falcidia neque in testa-  
mento militari, jure militari  
condito, *L. 7 C. h. t.* neque ex  
legato piæ Causæ reliquo de jure  
Novissimo per *Nov. 131. Cap.*  
*12.* detrahitur, *Carpz. p. 3.*  
*Conſt. I. Def. 16.* Ratio stat in  
testamenti militaris, & legati  
piæ Causæ reliqui favore.

### COROLLARIA,

#### *De lege Falcidia.*

<sup>1216</sup> Primum: Non tantum ex-  
pressè, verùm etiam tacitè pro-  
hiberi posse à testatore Falci-

diam, quando videlicet verba  
verificari nequeunt eadem salvâ.  
v. g. hæres præstet legata inte-  
gra, item nihil ex legatis apud se  
retineat &c. Ratio est: quia  
Imp. in *Nov. 1.* non intelligitur  
se ad nudum verborum corti-  
cem alligasse, sed credidisse,  
sufficere, si aliunde de volun-  
tate testatoris constet, quod  
fit, si verba stante Falcidiæ de-  
tractione verificari nequeant.  
*Strick. de Caut. testam. Cap. 22.*  
*M. 1. §. 6. & 7.*

2dum: Tacitè quoque in-<sup>1217</sup>  
telligi prohibitam Falcidiā in  
legato reliquo hac formula: *Ti-*  
*tio do lego ædes meas hac conditio-*  
*ne, ne eas extra familiam suam*  
*alienet, aut, ut illæ penè successo-*  
*res ejus maneam &c.* Rationem  
dat *Strick. loc. cit. §. 9.* quia etiam  
diminutio rei legatae per Falci-  
diā est species alienationis ex-  
tra familiam, quam testator pro-  
hibuit.

3tūm: In *Electoratu Colo-*  
*nienſi*, casu quo testator super  
sextante v. g. duntaxat dispo-  
suisset, reliquus dextans ita de-  
volvitur ad proximiores ab in-  
testato, ut hæres quartam Fal-  
cidiam ex eo detrahere nequeat.  
Ita

Ita Ordin. tit. I. §. 8. Ratio est forte: ut eò melius servetur ultima testatoris voluntas.

1219 4tum: Hæres, licet hæreditatis sit legatis exinanita, in Electoratu Coloniensi non potest quartam Falcidiam detrahere. Arg. §. 8. Ord. cit. tit. I. quacum concordat L. I. tit. de los testamentos Lib 5. Ord. ex sententia Gomezii var. resol. Tom I. Cap. 12. n. 11. eo quod testatoris voluntas exactissimè sit sequenda. Prout statuit Ordin. tit. I. §. 12. ubi legislator punctualibus verbis prohibet pariter Trebellianicæ detractionem.

1220 5tum: In Electoratu Trevirensi ex legatis tantum detrahitur, ut proximioribus, per clausulam codicillarem vocatis, salva sit quarta. Statut. Trevir. tit. I. §. 27.

1221 6tum: Ex quo in Electoratu Coloniensi decisa est controversia inter Doctores: à legatis piis non esse deducendam Falcidiā, decisa in Electoratu Trevirensi. Statuto Trevir. tit. I. §. 27. extenso tit. I. §. 34. ad Trebellianicam.

1222 7mum: In principatu Leodiensi legatarii non nanciscun-

tur jus reale in bonis defuncti nisi detracto ære alieno. N. 1197 Unde sequi videtur, hoc jure hæredi non deberi Falcidiam.

8vum: Detractio quartæ Fal 1223 cidiæ in Marchia Brandenburgensi locum habet juxta jus Cæfareum, ibi sequendum. Joachimus Scheplitz in Consuet. Brandenb. p. 2, tit. I. §. I.

## TITULUS XXIII.

De fideicommissariis hæreditatis, & ad SCtum Trebellianum.

Hæc de legatis, nunc dispi- 1224 ciendum est de Fideicommissis, quæ sunt *ultimæ dispositiones*, *quibus verbis precariis*, *vel obliquis*, *uni quid relinquuntur*, *alteri restituendum*, v. g. peto, mando, rogo, volo, jubeo, ut hæres meus domum Tusculanam, aut hæreditatem meam Mevio restituat; & sunt *modi* alia universalia, & particularia. Hæc sunt, ubi res singularis aut quantitas alteri est restituenda. v. g. hæredem meum rogo, ut Titio restituat mille &c. quæ juxta dicta legatis quoad efficiuntur exequata.

236

*Instit. Lib. 2. Tit. 23.*

1225 Fideicommisſa universalia sunt *dispositiones*, quibus aut tota hæreditas, aut pars quota uni relinquitur, alteri restituendæ. v. g. Titius hæres meus esto, rogo autem te, mi Titi, ut hæreditatem (idem est, si testator dicat semissem, dodrantem &c.) restituas Mevio. Ratio est: Quia sicut hæreditas est nomen universale, ita pariter partes quotæ, in quas As dividitur,

1226 2dū: Fideicommisſum aliud est, quod ordinatur per ultimam voluntatem, puta: si testator in testamento, aut codicillis, coram quinque testibus confectis, L. 22. C. de fideicom. ibique Brunnem, hæredis fidei in faciem committat aut hæreditatis, aut alterius rei restitutionem. L. fin. lod. cod. ibique Brunnem.... aliud, saltem de praxi Germaniæ, constituitur per conventionem, quod dicitur *conventionale*, & describitur ab Harprecht in tr. acad. 8. De fideicom. convent. §. 3. esse fideicommisſum, non nihil proprium, quo quis per contractum aut conventionem rogatur, alteri aliquid restituere.

Sunt autem conventiones, 1227 per quas hoc fideicommisſum constituitur ima: Donatio sub modo. L. 3. C. de Donat, qua sub modo &c. v. g. dono tibi fundum meum Tusculanum, ut eundem post decem annos Mevio restituas. Et hanc sententiam amplectitare Fusar. de substit. q. 14. n. 8. post varios allegatos, ubi dicit, contrarias opiniōnes hic conciliari, dicendo: tale fideicommisſum esse impro prium. Addatur Harprecht loc. cit. §. 9.

Altera conventio, quâ fidei 1228 commisſum nostrum impro prium constituitur est pactum unionis familiæ, quo conveniatur, ne bona sine consensu omnium de familia extra eandem alienare liceat. Prout insinuat Harprecht Th. 19. num. 3. statuendo: si pater bona sua immobilia eâ lege inter liberos divideret, ut perpetuo familiæ fideicommisſo essent obnoxia, omnibus masculis de familia in casum alienationis competere actionem.

3tiō: Fideicommisſum aliud 1229 est purum, aliud est conditiona le, aut sub die. §. 2. Inst. b. Exem plūm

plum fideicommissi conditionalis est in eo, quo filius gravatur. L. 102. ff. de condit. § demonst. nec non L. 30. C. de fideicomm. Eo quod semper facit subintelligatur illa conditio: *si sine liberis.* Cum nemio præsumatur, proprios liberos voluisse extra-neo postponere. Ex quō

1230 Insertur: quod, si avus filium instituerit hæredem, elīmque rōgaverit, ut post mortem suam hæreditatem restituat Mevio extraneo, fideicommissum supernatis ex filio nepotibus corruat. Ratio est: quia tale fideicommissum tacitam imbitam habet conditionem: *Si liberi filio meo nulli supernati fuerint,* per consequens deficiente conditione corruit fideicommissum tanquam conditionatum.

1231 4tō: Dividitur fideicommissum in illud, quod est conceputum in casum mortis, & aliud in casum alienationis. Ubi notandum est: quod, si res prohibita sit alienari extra familiam, insecurā alienatione necessariā, res ad vitam fiduciarii maneat apud emptorem. L. 69. s. 1. ff. de legat. 2. .... at verò facta

alienatione voluntariā, res fideicommisso obnoxia statim à proximioribus revocari potest. L. 69. s. 3. ff eod. ibique Brunnum. nec non Peregrin. de fideicom. art. 40. num. 17. Ratio: quia in d. §. 3. JCtus ad effectum revo-candi fideicommissum equipa-rat casum celebratæ alienationis cum casu contingentis mortis, extraneo hærede instituto, & sta-tuit utroque casu ab agnatis fi-deicommissum peti posse. Sub-sumo: atqui in casu ultimo sta-tim petitur, ergo & in priori.

Fideicomissa iis relinquuntur, qui directō institui possunt. L. 67. §. fin. ad SCtum Trebell. Unde infertur 1. quod, quibus directō nihil relinquere potest, ei-dem quoque in fideicommisso non contineantur. Infertur 2. quod, quia per foeminas familiæ non conservantur, hinc illæ ad fideicomissa familiæ non admittantur. Strick. de succe-sion. ab intestat. Dist. 7. c. 7. §. 9 Nisi fortè familia defecerit, eo enim casu cessat ratio prohibi-tionis, nempe conservatio ag-nationis. Peregr. Art. 27. n. 20.

Hæres fiduciarius (id est: qui 1232 ro-gatus est restituere) ut fidei-

commissario prospiciatur, obligatur in inventarium bonorum fideicommisso subjectorum confidere. Aut. Fab. in C. Lib. 6. tit. 25. def. 25. Carpz. p. 3. Conſt. 8. def. 39.... 2dō Cau-  
tionem præstare. t. t. ff. & C. ut  
legat. serv. cau. caveatur &c....  
3tiō Rationes reddere de admini-  
stratione rerum, fideicommisso  
subjectarum. Hahn. ad Wesenb.  
ff. ad SCtum Trebell. n. 8. post  
multos allegatos.

1234 Fideicommisso tantum gra-  
vari potest is, qui ex judicio  
defuncti aliquid accepit. §. 10.  
Inst. h. & in quantum aliquid  
consecutus est, sed non ultra.  
L. 9. C. de fideicomm. ibique  
Brunnem. Ratio est: quia quem  
non honoro, in propriis bonis gra-  
vare nequeo, & per consequens,  
quem in parte honoro, pro parte  
quidem; sed non ultra gravare  
possum.

1235 Fideicommissis subjici pos-  
sunt res, quæ ex fidēicommit-  
tentis arbitrio dependent. L. 22.  
§. 1. ff. de adoption. Unde regu-  
lariter fideicommisso nequit  
gravari legitima, utpote quam  
filius non habet ex testatoris ju-  
dicio, sed ex legis providentia.

Exemplum porro est in feudo  
ex pacto & providentia.

## COROLLARIA

### De fideicommissis univer- salibus.

1mum : Fideicommissum 1236  
non tantum ex verbis testatoris  
judicandum esse, verū etiam  
ex mente, & hinc alia oritur  
fideicommissi species, quod ta-  
citum appellatur, & non tam ex  
expressa testatoris voluntate,  
quam potius ex conjecturis de-  
ducitur; v. g. si testator prohibi-  
uerit bona extra familiam alie-  
nari, præceperit bona in fami-  
lia conservari, nouerit Tre-  
bellianicam detrahi; interdice-  
rit de bonis extra agnatos testa-  
menti factionem, aut ita dispo-  
suerit: Frater meus hæres esto;  
cognati autem eo casu ad hæredi-  
tatem perveniant, quo agnati  
nulli superfluerint. Strick. de  
Caut. Testam. Cap. 21. M. 1.  
§. 30. Ratio: quia his casibus  
testator censetur de fideicom-  
missio inducendo cogitasse.

2dum: Simplex prohibitio 1237  
de non alienando absque causa,

Et sine favore certæ personæ, non inducit tacitum fideicommissum, quia cum nudum præceptum sit talis prohibitio, nihil contra voluntatem defuncti sit, licet talis res ad hæredes quoscunque deferatur. Ita descendente Jcto in L. 38. §. 4. nec non in L. 93. pr. de legat. 3. Rationem dat Ant. Peregrin. de fideicommissis. Art. 14. n. 1 quia persona fideicommissarii in casu substrato est incerta. Neque obstat: quod prohibitio in favorem proximiorum apposita dici possit. Etenim in dubio potius pro hæredis favore est pronuntiandum. Ita Iud. Peregrin.

1238 3tium: Quod, licet ad fideicommissum proprium numerus quinarii testium sit necessarius. §. fin. Inst. b. attamen ad fideicommissum conventionale duo testes sufficient. Strick. de Caut. testam. Cap. 21. M. 1. §. 37. Ratio est: quia cum tale fideicommissum principaliter in conventione radicetur, major ad illud non est necessaria solennitas, quam ad quamcunque conventionem.

1239 4tum: Donatio inter vivos quidem, si summat quingen-

torum solidorum excedat, indiget insinuatione, juxta dicta de Donationibus; at verò secus est in fideicommisso conventionali, expressâ prohibitione alienationis bonorum pro conservatione agnationis ipsius donatoris. Prout magistraliter decidit Cælius Bichius in decis. Romana 207. num. 26. subnexâ ratione, quia tale fideicommissum est donatio ob causam, respscientem commodum donantis, quæ insinuatione non indiget.

5tum: In Electoratu Coloniensi cuique liberum est, hæreditatem suam fideicommisso gravare, salvâ liberis legitimâ, non extendendo nisi ad quartum hæredem inclusivè, licet testator aliud voluerit. Ordinat. Elect. Colon. tit. 1. s. 12 § 13.

6tum: Fideicommissum: si liberis, in Principatu Leodiensi exspirat, liberis ante ultimum superstitem mortuis. Carolus de Mean in jus Leod. obs. 75. n. 4.

\* \* \*

## APPENDIX

## De SCto Trebelliano.

<sup>1242</sup> Ne nimis gravarentur hæredes fiduciarii, imò cautum est SCto Pegasiano, ut possit quarta detrahi. 2dò: per SCtum Trebellianum ut onera hæreditaria cum fideicommissario communicentur. §. 5. & 6. Inst. b. De jure Institutionum autem §. 7. b. SCto Trebelliano plenissimus est tributus effectus, & explosis SCti Pegasiani subtilitatibus, quod plus fuit in hoc, transfusum est in Trebellianum.

<sup>1243</sup> Imò Itaque hæres fiduciarius detrahit quartam, quæ Trebellianica dicitur, in quam omnia imputantur, quæ quocunque, etiam particulari titulo, restituens à defuncto accepit. L. 91. ff. ad Legem falcid. Ubi vers. pro ea verò parte &c. exaudiendus est de quarta Falcidia. Unde non tantum quod fiduciarius hæres titulo hæreditis institutionis habet, verùm etiam quod consecutus est titulo prælegati, in Trebellianicam imputat. Rationem dat Harprecht, s. 3. Inst.

ad leg. Falcid. n. 13. quia lex fiduciario hæredi salvam tantum vult esse fideicommissi quartam. Ubi

Observevanda est inter Trebel- <sup>1244</sup> lianicam & Falcidiā (ut pote in quam illa, quæ hæres Falcidius habet particulari titulo, non imputantur) diversitatis ratio, nim. quia lex vult, hunc habere hæreditatis quartam, forte, eò quod hic solus ferat hæreditatis onera, secus ac fiduciarius.

2dò: Fiduciarius dodrantem <sup>1245</sup> onerum hæreditariorum transmittit in fideicommissarium, quadrante penè ipsum remanente. §. 7. Inst. b. quia licet fiduciarius subtili juris ratione hæres maneat, cum tamen fideicommissarius dodrantem commodorum occupat, pariter pro rata in oneribus tenetur concurrere. Ex quo

Infertur: quod fiduciarius <sup>1246</sup> hæres, catu quo quartam habet hæreditario titulo, in præstandis legatis cum fideicommissario pro rata regulariter teneatur concurrere. Ratio: quia legata sunt testamentaria onera. Dixi: Regulariter: Nam secus foret, ubi testator fideicommissa-

m issario præstationem legati injunxit.

1247 3tiò Tenetur fiduciarius hæreditatem aditam restituere fideicommissario unà cum fructibus, ante aditionem perceptis, & pendentibus tempore restitutio facienda. Ratio est: quia hi sunt pars fundi, illi autem augmenta hæreditatis, adeoque penè fiduciarium existunt ex causa fideicommissi.

## COROLLARIA.

### *De quarta Trebellianica.*

1248 1tum: Fideicommissum conventionale non subjacet detractioni quartæ Trebellianicæ. Harprecht. tr. acad. 8. th. 41, ex ratione, quia quartæ detractio adinventa maxime est favore ultimarum voluntatum, ut hæres animetur ad hæreditatem addendum, quæ ratio cessat in fideicommisso conventionali.

1249 2dum: Alii tamen de re actionibus, v. g. æris alieni, fideicommissum hocce conventionale subiectum est, prout deduxit Bichius decis. 510. num. 18. eo quod debitor creditoribus

præjudicare nequeat, bona suæ in eorundem daminum fideicommisso inveniendos; & per hoc tale fideicommissum à simplici donatione videtur differre, cum hæc non aliter, quam si in fraudem creditorum facta sit, retractari valeat.

3tum: Filius fideicommisso 1250 universali sive puro, sive conditionali aut in diem gravatus, præter legitimam, deducit etiam Trebellianicam. Cap. Raynulphus & Raynaldus §. de Testam. Faber in Cod. Lib. 6. tit. 27. Ratio videatur esse, quia iste filius in fideicommisso puro æquè ac conditionali duplice jure venit, & quæ filius & quæ hæres fiduciarius, ut inde duplice commode, quorum altero ex juris Naturæ, atque altero ex legis Civilis beneficio fruitur, non sit privandus. Non refragante, quod ita in puro fideicommisso eodem tempore duplice commode frueretur. Etenim hoc ipsum non implicat casu, quo quis duplice jure est munitus.

4tum: In Electoratu Colonensi 1251 hæres fiduciarius fideicommisso universali gravatus quartam Tre-

Trebellianicam non detrahit. *Ord. tit. 1. §. 12.* Ratio est: quia cum hoc jure necessaria non sit hæredis fiduciarii aditio, ad fideicommissum conservandum, eo quod in *tit. 1. Ord. §. 8.* testatori de tua substantia liceat disponere nullo hærede instituto, hinc necesse non est, hæredem fiduciarium ad adeundum invitare, quæ est unica ratio introductæ Trebellianicæ.

**1252** 4 tum: In Electoratu Coloniensi detractione quartæ Trebellianicæ ex dictis locum non habente, omnia testamenti capitula exactissimè sunt implenda. *Ord. Elect. Colon. tit. 1. §. 12.*

**1253** 5 tum: In Principatu Leodiensi Trebellianicam ex fideicommisso conventionali detrahi, nihil vetat. *Carolus de Mean in jus Leod. obs. 72. n. 2. § 3.*

## TITULUS XXIV.

*De singulis rebus per fideicommissum relictis.*

**1254** Hic tractat Imperator de fideicommissis particularibus, quæ cum quo ad effectus sint legatis exæquata, hinc quæri-

tur: an quoque *L. fin. C. de fidicommissis* ad legata applicari valeat? ut quoque legata hæredi in faciem injuncta valeant absque ulteriori solennitate? ad quod Resp. cum *Sichardo ad cit. L. fin.* affirmativè, eo quod legata & fideicommissa particula quoad effectus ferè sint exæquata, ut hinc sicuti testator fideicommissum particulare ab hærede in faciem relinquere potest, absque solennitate, credendo suam dispositionem & voluntatis executionem hæredis fidei, ita pariter legata, verbis in faciem hæredis directis v.g. *hæres mi præsta Mevio censem*.

## TITULUS XXV.

*De codicillis.*

Ultimum testamentorum accessorium sunt Codicilli, qui sunt ultima voluntas minus solennis absque hæredis institutione coram quinque testibus facta. Sunt autem solennitates ad codicilos requisitæ primæ: ut quinque testes adhibeantur, licet non sint rogati. *L. ult. s. fin. C.*

C. h. t. neque masculi. *Barry de* & seqq. & *Carpz.* p. 3. const. 9.  
*Juccess.* lib. 1. tit. 1. n. 10. quia  
 fœminæ hic specialiter non ex-  
 cluduntur.... 2dō : ut testēs  
 codicillos scriptos subseribant.  
*cit.* *L. fin.* C. h. t. licet praeletti  
 sustineantur in vim nuncupati-  
 vorum.... 3tō, ut fiant unico  
 ætu. *cit.* *L. fin.* ... 4tō. ut di-  
 sponatur de illis, quæ haeres vel  
 ex testamento, vel ab intèstato  
 facere debeat. Unde fideicom-  
 missum universale etiam in co-  
 dicillis potest relinquiri.

**1256** Codicillis similis est *clausula*  
*codicillaris*, quā *testator* vult, ut,  
 si *testamentum* non possit valere,  
 ut *testamentum*; valeat *ut codi-*  
*cillus*, *vel* *omni* *alio* *meliore* *mo-*  
*do*. Nam sicuti relicta in codicil-  
 lis peti possunt, ac si in testa-  
 mento relicta forent, ita pari-  
 ter relicta in testamento, v. g.  
 ex defectu solennitatum nullo,  
*clausula* codicillari munita sunt  
 præstantia.

**1257** Non possum tamen clausulæ  
*codicillari* tam amplum tribue-  
 re juris effectum, ut quoque  
 testamentum ex præteritione  
 liberorum aut parentum nul-  
 lum, illâ adiectâ, sustineatur,  
 cum *Harprecht.* b. t. §. 1. n. 23.

*definit.* 12. Ratio est: quia hæc  
 clausula defectum solennitatum  
 quidem extrinsecarum supplet,  
 at non intrinsecarum... Quod  
 autem dixi clausulam codicil-  
 larem supplere defectum so-  
 lemnitatum extrinsecarum in-  
 tellige procedere in casu, ubi  
 aliæ solennitates ad codicillos  
 de jure communi requisitæ ob-  
 servyatæ forent, etenim si nec  
 hæ servatæ essent, clausula co-  
 dicillaris corrueret. Unde no-  
 tet *Strick.* *de Caut.* *Testam.* Cap.  
 23. § 36. incautè facere testa-  
 tores solennitatem juris Canoni-  
 ci, duos nim. testes, solum-  
 modò adhibendo, cum jus Ca-  
 nonicum hoc in passu in foro  
 civili non obtineat, nisi forte  
 de legatis ad pias Causas agatur,

## COROLLARIA

## De codicillis.

Primum: ubi hodie mino-  
 res ad' *testamentum* requirun-  
 tur solennitatem v. g. *In Elec-*1258*  
 toratu Colonensi*, ibi quinque  
 testes ad codicillum non sunt  
 necessarii, eo quod præsumen-  
 dum

dum non sit, legislatorem voluisse majores ad codicillum quam ad testamentum require solennitates.

259 2dum: Testamentum eis fratris præteritionem, turpi personâ institutâ, in officiosum, non salvatur per clausulam codicillarem. Harprecht. loc. cit. n. 27. quia quod unâ viâ prohibitum est, v. g. turpem personam, fratre præterito, hæredem instituire, quoque alterâ viâ nim. per fideicommissum inhibitum censetur.

260 3tum: In testamento Elec-

codicillaris, licet non expressa, subintelligitur, ut reliquum, quod in hæreditate est, ad proximiores devolvatur. Statut.

Trevir. tit. 1. §. 21.

4tum: Eodem jure utitur Electoratus Coloniensis, ut clausula codicillaris subintelligatur, reliquâ hæreditate ad hæredes, a iure testato devolvente. Ord. Elect. Colon. tit. 1. §. 8.

5tum: Statutum remittens salennitatem testamentorum in codicillis etiam locum habet. Joachim. Scheplitz in consuet. Brand. p. 3, tit. 2. §. 7. n. 19.